CORNELII TACITI

DIALOGVS DE ORATORIBVS.

IN VSVM SCHOLARVM RECOGNOVIT

BREVIQVE ANNOTATIONE

INSTRVXIT

FRANCISCVS RITTER

WESTFALVS.

EDITIO SECVNDA.

BONNAE

IMPENSIS T. HABICHT.

MDCCCLIX.

PRAEFATIO.

Tertius qui supererat comes ad Germaniae et Agricolae libellos Tacitinos altera cura in usum studiosae iuuentutis adornatos iam succedit. Quem ante dimittam, augmentum felici casu subnatum addere licet. Nam his diebus, cum hoc opusculum absolutum esset, prodierunt *Diorthotica in Cornelii Taciti Dialogum*, in programmate gymnasii Bonnensis a directore L. Schopeno, collega et amico meo, edita. Cuius felix in indagandis et tollendis sordibus, quae ueterum chartis adhaeserunt, acumen ingenii nonnullis huius sermonis locis bono successu admotum esse harum rerum periti agnoscent, ubi scripturam quae adhuc circumfertur cum nouis coniecturis composuero. Schopenus igitur uerba c. 2 sic transponenda suasit *quos ego utrosque non in iudiciis modo studiose audiebam;* c. 3 pro *ipsumque quem* reposuit *ipsum quemque*, quod uerum mihi uidetur; c. 7 coniecit *in nobis* pro *in alio*, mox *qui tam illustres sunt*, c. 10 *ultro elegisse* pro *aut elegisse;* c. 12 suppleuit *in strepitu urbis* pro *in strepitu*, c. 33 *nam quibus artibus instrui* pro traditis *nam quibus instrui*, quod utrumque mihi approbavit, c. 17 *id est unius hominis aetas* pro *unius hominis aetas;* c. 26 temptauit *frequens, ut sic dixerim, clausula et exclamatio*, c. 27 *cum esses plane mitior et eloquentiae temporum*

nostrorum non ita iratus, c. 31 *intellectum habet eorum*, 34 *nec bene nec secus dicta;* c. 37 proposuit *suffecturi*, *honores* pro *suffecturi honoribus;* ibidem rescripsit *nam quo saepius steterit orator tamquam in acie, — quo maiores aduersarios acrioresque pugnas sibi ipse desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitatus discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est, ut ancipitia, non secura uelint;* quae coniectura in pluribus amice conspirat cum periculo quod ipse nunc feci, in aliis discedit.

Scribebam m. Octobri a. 1858.

CORNELII TACITI

DE ORATORIBVS DIALOGVS.

Saepe ex me requiris, Iuste Fabi [1]), cur, cum priora 1 secula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata uix nomen ipsum oratoris retineat. Neque enim ita appellamus [2]) nisi antiquos: horum autem temporum diserti causidici [3]) et aduocati et patroni et quiduis potius quam oratores uocantur. Cui percontationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus excipere [4]), ut aut de ingeniis nostris male existimandum sit, si idem adsequi non possumus, aut de iudiciis, si nolumus, uix Hercule auderem, si mihi mea

Cap. 1. Consilium scribentis et sermonis a se tradendi forma. || 1) *Iuste Fabi:* fuit Taciti amicus et Plinii minoris (Plin. Epist. I 5 et 11, VII 2). Cognomina praeponere nominibus parce coeperunt aurei seculi scriptores, large recentiores. || 2) *neque enim ita appellamus nisi antiquos:* hoc nimium est et uero uix consentaneum; itaque uidendum num *appellemus*, ut codices legunt, resoluendum sit *appellare solemus*; id ueritati conueniet. || 3) *causidici* (*Sachwalter*) *et aduocati* (*Rechtsbeisteher*) *et patroni* (*Schutzherren*): *causidici* causas priuatas coram iudice agunt; iidem uocantur *aduocati*, quod a litigantibus adhibentur, *patroni*, quod suo praesidio tuentur in iure certantes. || 4) *quaestionis pondus excipere:* *excipitur* res in medio posita, *suscipitur* quae praesidio eget uel periclitatur. Hinc paulo post: *neque enim defuit qui diuersam quoque partem sus-*

sententia proferenda ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertractantes [5] iuuenis admodum audiui. Ita non ingenio sed memoria et recordatione [6] opus est, ut quae a praestantissimis uiris et excogitata subtiliter et dicta grauiter accepi, cum singuli diuersas [uel easdem] sed probabiles causas [7] adferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet [8], isdem nunc numeris isdemque rationibus [9] persequar, seruato ordine disputationis. Neque enim defuit [10] qui diuersam quoque partem susciperet, ac multum uexata et inrisa uetustate [11] nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret.

2 Nam postero die quam Curiatius Maternus [1] Cato-

ciperet. || 5) *pertractantes*: ab omni parte tractantes. || 6) *memoria et recordatione* (*Gedächtniss und Erinnerung*): recordationem excitat qui naturali memoriae ui utitur. || 7) *diuersas [uel easdem] sed probabiles causas* (*entgegengesetzte aber annehmbare Ursachen*): *diuersas* causas dicit a Messala et Materno expositas (c. 25—35, 36 - 41), quorum prior ueteris artis oratoriae uirtutem ex bonis moribus et disciplinae seueritate, alter ex licentia et turbis rei publicae repetiuit. De uerbis *uel easdem* cf. ed. mai. || 8) *dum-redderet* (*wenn nur jeder den Ausdruck seiner eigenen Gesinnung und seines Geistes wiedergeben würde*): particula *dum* nunc est pro *dummodo* et refertur ad mentem scribentis, unde subsequitur coniunctiuus. De arte et uirtute imitandi per hunc sermonem conspicua dictum est in Prooemio ed. mai. c. 5 p. XII. || 9) *isdem nunc numeris isdemque rationibus*: *numeri* (*d. Sätze*) pertinent ad formam disputationis, *rationes* (*d. Gründe*) ad argumentum. || 10) *neque enim defuit* sqq. notat partem sermonis c. 16—23. Cetera ad introductionem colloquii et ornatum faciunt || 11) *uetustate*: uetusto tempore siue ueteris temporis oratoribus, breuiter ac noue.

Cap. 2. Occasio sermonis. Taciti iuuenis cum Apro et Secundo oratoribus usus amicitiae et consuetudinis commercium. Qui tres poetam Curiatium Maternum adeunt, cum ille pridie Catonem recitasset. || 1) *Curia-*

nem [2]) recitauerat, cum offendisse potentium animos diceretur, tamquam in eo tragoediae argumento [3]) sui oblitus tantum Catonem cogitasset, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur, uenerunt ad eum M. Aper et Iulius Secundus [4]), celeberrima tum ingenia fori nostri, quos ego in iudiciis non utrosque [5]) modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico adsectabar mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuuenili, ut fabulas [6]) quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem, quamuis maligne plerique opinarentur, nec Secundo promptum esse sermonem, et Aprum ingenio potius et ui naturae quam institutione et litteris famam eloquentiae consecutum. Nam et Secundo purus et pressus [7]) et, in quantum satis erat, profluens sermo non defuit, et Aper omni eruditione imbutus contemnebat potius litteras quam nesciebat, tamquam maiorem industriae et laboris gloriam habitu-

tius Maternus: ortus ex Gallia (cf. ad c. 10) Nerone principe Romam uenit, ubi causis orandis, tum fabulis recitandis floruit, donec a Domitiano ob libertatem oris occisus est (Dio apud Xiphilinum LXVII 12). || 2) *Catonem:* Catonem Vticensem, sua sponte simul cum libertate occidentem. Erat fabula Latini argumenti siue praetexta. || 3) *in eo tragoediae argumento* (*in einem Trauerspiele solchen Inhalts*)*:* elegisse uidebatur personam notabilem et cum auctoritate pro libertate dicturam (cf. c. 10); id offendit potentes Vespasiani amicos. || 4) *M. Aper et Iulius Secundus:* Iulium Secundum cum honore memorat Quintilianus X 1 120—121 et 3 12—14, XII 10 11. Pater ei fuit Iulius Florus, *in eloquentia Galliarum — princeps* (Quintil. X 3 12). In Gallia etiam Aper natus est; cf. ad c. 10. || 5) *utrosque:* uetus loquendi usus probauit *utrumque;* cf. ad Ann. XI 1 ed. mai. || 6) *fabulas:* confabulationes de rebus uulgaribus uel forte oblatis; c. 3: *fabulae malignorum.* Contra *disputationes* (*Erörterungen*) fiunt de litteris aut causis forensibus, *arcana semotae dictionis* (*Geheimnisse vertraulicher Unterredung*) de Caesare eiusque amicis, de statu imperii et quae sunt alia eiusdem generis. || 7) *purus et pressus-sermo: purus* (*lauter*) est sermo, si uitiis ua-

rus, si ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis
3 inniti uideretur[8]). Igitur ut intrauimus cubiculum Materni, sedentem ipsumque [1]) quem pridie recitauerat librum intra manus habentem deprehendimus.

Tum Secundus, Nihilne te, inquit, Materne, fabulae malignorum terrent, quo minus offensas Catonis tui ames? An ideo librum istum adprehendisti, ut diligentius retractares [2]), et sublatis si qua prauae interpretationi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem sed tamen securiorem [3])?

Tum ille, Leges, quid Maternus [4]) sibi debuerit, et agnosces quae audisti. Quod si qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet. Hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formaui. Atque ideo maturare libri huius editionem festino, ut dimissa priore cura [5]) nouae cogitationi [6]) toto pectore incumbam.

cat, *pressus* (*gedrängt*), si luxuriantia absunt. || 8) *Aper omni eruditione — inniti uideretur:* Tacitus adolescens Ciceronem ducem sequitur, qui similia de Crasso et Antonio narrauit de Or. II 1.

Cap. 3—4. Initium disputationis hinc oritur, quod Maternus omne tempus fabulis scribendis tribuere destinauit, Aper ipsum ad operam forensem cohortatur. || 1) *ipsumque*: in codicibus est *ipsum*; cf. ed. mai. || 2) *retractares*: hoc ad mentem Materni dicit Aper; ideo *retractares* posuit, non *retractes*. Consulto uitauit uerbum *emendares*. || 3) *securiorem* (*freier von Besorgnissen*): qui minus curarum incutiat auctori. Hist. I 1: *uberiorem securioremque materiam.* || 4) *quid Maternus sibi debuerit* (*was ein Maternus sich selbst schuldig gewesen*): non sine confidentiae spiritu nomen suum posuit, quod nunc est pro uiro forti et constanti: nam meticulosi hominis esse notat et uarii aliter recitare quam edere. || 5) *cura* (*Arbeit*): c. 6: *siue nouam et recentem curam — attulerit.* Annal. III 24: *si — plures ad curas uitam produxero;* IIII 11: *quorum in manus cura nostra uenerit.* Est noua nominis significatio. || 6) *nouae cogitationi — incumbam: ad* uel *in no-*

Adeo te tragoediae istae [7]) non satiant, inquit Aper, quo minus omissis orationum et causarum studiis omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa [8]) Thyestem consumas, cum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum uocent, quibus uix suffeceris, etiamsi non nouum tibi ipse negotium importasses, Domitium [9]) et Catonem, id est, nostras quoque historias et Romana nomina Graecorum fabulis adgregares.

Et Maternus, Perturbarer hac tua seueritate, nisi 4
frequens [1]) et assidua nobis contentio iam prope in consuetudinem uertisset. Nam nec tu agitare [2]) et insequi poetas intermittis, et ego, cui desidiam aduocationum obicis, quotidianum hoc patrocinium [3]) defendendae aduersus te poeticae exerceo. Quo laetor magis oblatum nobis iudicem, qui me uel in futurum uetet uersus facere, uel, quod iam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat, ut omissis forensium causarum angustiis,

uam cogitationem incumbere Cicero dicit, ubi translata eius uerbi potestate utitur. || 7) *tragoediae istae* (*die Tragoedien da*): leni irrisione respondet et hoc dicit, tragoediae quas crepas. || 8) *circa Thyestem:* cf. c. 22: *circa excessus*, 28: *circa educandos liberos;* Germ. 28: *circa affectationem originis*; adde Ann. XI 15 et 29, XVI 8. Hist. I 13. || 9) *Domitium:* eadem fabula (praetexta) c. 11 *Nero* uocatur. *Domitii* nomen ostendit, illum qui post adoptionem Claudii Caesaris cognomentum *Neronis* accepit, in fabula Materni iuuenem admodum et nondum adoptatum in familiam Claudiam prodisse. Conf. ed. mai.

1) *frequens et assidua nobis contentio: frequens* quae saepe exercetur, *assidua* (*anhaltend*) quae diutius durat. || 2) *agitare et insequi* (*beunruhigen und verfolgen*): Graece dicas *ἐπιταράττειν καὶ διώκειν. Agitamus* stantem uel sedentem, *insequimur* fugientem. || 3) *patrocinium* (*das Schutzamt*) *defendendae aduersus te poeticae:* una in re, dicit Maternus, desidiam aduocationum (*Lässigkeit im Rechtsbeistande*) iniuria tu mihi obicis: nam poeticam ego quotidie patronus et aduocatus eius aduersus te accusatorem

in quibus mihi satis superque sudatum est, sanctiorem[4] illam et augustiorem eloquentiam colam.

Ego vero, inquit Secundus, antequam me iudicem Aper recuset, faciam quod probi et moderati iudices solent, ut in iis cognitionibus se[1] excusent, in quibus manifestum est alteram apud eos partem gratia praeualere. Quis enim nescit neminem mihi coniunctiorem esse et usu amicitiae et assiduitate contubernii quam Saleium Bassum[2], cum optimum uirum tum absolutissimum poetam? Porro si poetica accusatur, non alium uideo reum locupletiorem[3].

Securus sit[4], inquit Aper, et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fouet, cum causas agere non possit. Ego enim, quatenus arbitrum litis huius inueni, non patiar Maternum societate plurium defendi: sed ipsum solum apud uos[5]

defendo. || 4) *sanctiorem illam et augustiorem (jene geweihetere und erhabenere): sanctiorem*, quod uulgus reorum arcetur, *augustiorem*, quod angustis fori spatiis non inclusa est, sed scenas totius terrae occupat.

Cap. 5—8. Aper eloquentiam prae poetica laudat illamque praefert propter utilitatem, iucunditatem, tum ob famam et ornamenta eorum qui causas defendunt. || 1) *se excusent:* pronomen *se* codices omittunt; cf. ed. mai. || 2) *Saleium Bassum:* Secundus de amico et contubernali iusto benignius sentit. Quintilianus X 1 90: *uehemens et poeticum ingenium Salei Bassi fuit, nec ipsum senectute maturuit.* || 3) *reum locupletiorem:* noue ac breuiter pro eo qui *rei locum iustius impleat.* Saleius ne reus fiat, ego amicus ad absoluendum quemcumque alium poetam inclinare me sentio; sic fatetur Secundus. || 4) *securus sit* cet.: hinc accusare poeticam incipit Aper et laudare oratoris eloquentiam (c. 5—10), cui mox respondet Maternus suscepto poeticae patrocinio. Qua in re Tacitus simile exemplum secutus est, quod in Hortensio Cicero praeiuerat; cf. ed. mai. || 5) *apud uos arguam:* si hoc recte se habet, *uos* Aper alloquitur Secundum et Tacitum iuuenem. In codicibus tamen

arguam, quod natus ad eloquentiam uirilem et oratoriam, qua parere simul et tueri amicitias, asciscere necessitudines [6], complecti prouincias possit, omittit [7] studium, quo non aliud in ciuitate nostra uel ad utilitatem [8] fructuosius uel ad dignitatem amplius uel ad urbis famam pulchrius uel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam inlustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem uitae omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid est tutius [9] quam eam exercere artem, qua semper armatus praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, inuidis uero et inimicis metum et terrorem ultro feras, ipse securus et quadam uelut perpetua potentia [10] ac potestate munitus? Cuius uis et utilitas rebus prospere fluentibus aliorum perfugio et tutela intellegitur: sin proprium periculum increpuit, non Hercule lorica et gladius in acie firmius munimentum quam reo et periclitanti eloquentia praesidium simul ac telum, quo propugnare pariter et incessere uel in iudicio siue in senatu siue apud principem possis. Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus [11] quam eloquentiam suam opposuit? Qua accinctus et minax disertam quidem sed inexercitatam et eiusmodi cer-

non est *uos*, sed *eos* a Lipsio mutatum in *uos*. Hinc Weissenbornius elici uoluit *apud te coarguam*. || 6) *necessitudines:* h. e. affinitate secum iunctos. || 7) *omittit:* in codicibus scribitur *amitti*, quod correctum a Rhenano; cf annot. ad Annal. XIIII 26 ed. mai. || 8) *ad utilitatem fructuosius — notitiam inlustrius:* est dicendi genus Ciceronianum, quo accusatiuus nominis substantiui cum adiectiuo cognatae significationis per *ad* iungitur. His uerbis Aper ordinem rerum a se iam per tres numeros percurrendarum breuiter indicauit. || 9) *quid est tutius* sqq.: his similia habet Cicero de Or. I 8, quem Tacitus imitatus est. || 10) *potentia ac potestate* (*Einfluss und Machtfülle*): cf. ad Hist. I 1 ed. mai. || 11) *nuper Eprius Marcellus — opposuit?:* rem

taminum rudem Heluidii sapientiam elusit. Plura de utilitate non dico, cui parti minime contradicturum Maternum[12] meum arbitror.
6 Ad voluptatem[1] oratoriae eloquentiae transeo, cuius iucunditas non uno aliquo momento sed omnibus prope diebus ac prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero et ingenuo[2] animo et ad uoluptates honestas nato quam uidere plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum? Idque scire non pecuniae, non orbitati, non officii alicuius administrationi, sed sibi ipsi dari? Illos quin immo orbos[3] et locupletes et potentes venire plerumque ad iuuenem et pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent. Vllane tanta ingentium opum ac magnae potentiae uoluptas quam spectare homines ueteres[4] et senes et totius orbis gratia subnixos in summa rerum omnium abundantia confitentes, id quod optimum sit se non habere? Iam uero qui togatorum comitatus[5] et egressus! Quae in publico species! Quae in iudiciis ueneratio! Quod gaudium consurgendi adsistendique inter tacentes et in unum conuersos! Coire populum, et circumfundi coronam, et ac-

narrauit Tacitus Hist. IIII 6. || 12) *Maternum meum:* ipsum usu comperisse significat, quam fructuosa sit eloquentia, quam sterilis poetica.

1) *uoluptatem:* hanc supra notauit uerbis *ad dignitatem amplius.* || 2) *libero et ingenuo:* liber contrarius est seruili, ingenuus humili. || 3) *orbos et locupletes et potentes:* orbi ualent apud illos qui testamenta expectant captantque, locupletes pecunia sua, potentes officio et gratia. || 4) *ueteres et senes* (*alte und graue*): *ueteres* diu uixerunt, *senes* ad senectutem peruenerunt. || 5) *togatorum comitatus et egressus:* toga induti iuxta morem maiorum *comitantur* oratorem in forum iudiciumque et cum ipso non sine specie domo *egrediuntur.* Cf. c. 11: *comitatus istos et egressus.* Annal. XI 12: *egressibus adhaerescere.* ||

cipere adfectum quemcumque orator induerit! Vulgata
dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis exposita
percenseo: illa secretiora et tantum ipsis orantibus nota
maiora sunt. Siue accuratam [6]) meditatamque profert
orationem, est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii
pondus et constantia; siue nouam [7]) et recentem curam
non sine aliqua trepidatione animi attulerit, ipsa solli-
citudo commendat euentum et lenocinatur [8]) uoluptati.
Sed extemporalis [9]) audaciae atque ipsius temeritatis uel
praecipua iucunditas est. Nam in ingenio quoque, sicut
in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur,
gratiora tamen quae sua sponte nascuntur. Equidem, 7
ut de me ipse fatear, non eum diem laetiorem egi, quo
mihi latus clauus [1]) oblatus est, uel quo homo nouus et
in ciuitate minime fauorabili [2]) natus quaesturam aut
tribunatum aut praeturam accepi, quam eos quibus mihi
pro mediocritate huius quantulaecumque in dicendo fa-
cultatis aut reum prospere defendere aut apud centum-
uiros [3]) causam aliquam feliciter orare aut apud prin-

6) *accuratam meditatamque* (*eine ausgearbeitete und eingeübte*): cum cura factam et meditando memoriae traditam. || 7) *nouam et recentem curam* (*eine neue und frische Arbeit*): *noua* nuper composita est, *recens* natura sua uel specie prodit paulo ante natam se esse. Conf. c. 8 et Hist. IIII 65: *noua et recentia iura.* || 8) *lenocinatur uoluptati* (*erhöhet den Reiz der Lust*): nouo uerbo utitur pro uulgari *augere*; perinde Germ. 43. || 9) *extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis* (*das Wagniss, ja selbst die Verwegenheit ohne Vorbereitung*): Quintilianus X 6 6: *uel extemporalem temeritatem malo quam male cohaerentem cogitationem.*

1) *latus clauus:* insigne senatoris Romani in tunica. || 2) *minime fauorabili:* cui minime fauetur a Romanis. Aper in Gallica quadam ciuitate natus erat; cf. ad c. 10. || 3) *apud centumuiros:* ad centumuirale iudicium illae causae delegabantur in quibus non de facto sed de iure quaerebatur, id quod saepe accidit in re hereditaria et in querella *inofficiosi testamenti.*

cipem ipsos illos libertos et procuratores [4]) principum tueri et defendere datur. Tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere uideor, tum habere quod, si non in ali*quo* [5]) oritur, nec codicillis [6]) datur nec cum gratia uenit. Quid? Fama et laus [7]) cuius artis cum oratorum gloria comparanda est? Quin*am* [8]) inlustres et *noti* [9]) in urbe, non solum apud negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud uacuos et adulescentes, quibus modo et recta indoles est et bona spes sui? Quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? Quos saepius uulgus quoque imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine uocat et digito demonstrat? Aduenae quoque et peregrini [10]) iam in municipiis et coloniis suis auditos, cum primum urbem attigerunt,
8 requirunt ac uelut agnoscere [11]) concupiscunt. Ausim

Quintilianus IIII 2 5, Cicero de Or. I 38. || 4) *libertos et procuratores:* h. e. libertos principum, qui procuratores in prouinciis fuerant et a prouincialibus accusabantur. Est ἓν διὰ δυοῖν, ut c. 5 *reo et periclitanti.* || 5) *in aliquo:* scriptura non indubia est; in codicibus est *in alio.* || 6) *nec codicillis datur nec cum gratia uenit: codicilli* a Caesare mittuntur, *gratia* a potentibus uenit. || 7) *fama et laus*: iam ad tertium a se post utilitatem et iucunditatem eloquentiae demonstrandum, h. e. ad famam oratorum peruenit. Primum dicit de fama oratorum in urbe, tum de notitia apud ceteros ciues et gentes orbis Romani. || 8) *quin*am: in codicibus est *qui non*, ab editoribus adhuc uarie temptatum; in forma sermonis a me reposita Aper hoc quaerit: 'in quonam hominum genere inlustres et noti sunt, si non in oratoribus?' || 9) *et* noti: *noti* ex mea coniectura accessit. Excidisse aliquid particula *et* ostendit. In maiore editione temptaui *et in cetero orbe terrarum et in urbe;* hoc nunc correxi, quod orator primum in urbis Romae fama se continet. || 10) *aduenae quoque et peregrini*: iam urbe omissa amplius famam oratorum persequitur. *Peregrini* nunc latius dicuntur qui peregre in urbem uenerunt. Alibi *peregrini* uocantur qui non habent ciuitatem Romanam. Verum municipiorum et coloniarum incolae, qui hoc loco peregrini uocantur, ciues Romani erant. || 11) *ac uelut*

contendere Marcellum hunc Eprium, de quo modo locutus sum, et Crispum [1] Vibium (libentius enim nouis et recentibus quam remotis et oblitteratis exemplis utor) non minus esse [2] in extremis partibus terrarum quam Capuae aut Vercellis, ubi nati dicuntur. Nec hoc illis *alterius opes* [3], alterius ter milies sestertium praestat, quamquam ad has ipsas opes possunt uideri eloquentiae beneficio uenisse, sed ipsa eloquentia; cuius numen et caelestis uis [4] multa quidem omnibus seculis exempla edidit, ad quam usque fortunam [5] homines ingenii uiribus peruenerint, sed haec, ut supra dixi, proxima et quae non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda haberemus. Nam quo sordidius et abiectius nati sunt, quoque notabilior paupertas et angustiae rerum [6] nascentes eos circumsteterunt, eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem inlustriora

agnoscere: tales agnoscere uolunt, quales fama et cogitatione animis suis informarunt.

1) *Crispum Vibium:* de hoc a Tacito relatum est in Annal. XIIII 28, Hist. II 10, IIII 41 et 43; cf. Quintiliani X 1 119: *Vibius Crispus compositus et iucundus et delectationi natus, priuatis tamen causis quam publicis melior.* || 2) *esse*: hoc *esse* significanter positum est pro *esse in ore*, h. e. quasi *uersari* uel *uiuere*. || 3) alterius opes, *alterius ter milies sestertium praestat:* locus mutilus est in codicibus, uerba *alterius opes* ex mea coniectura addita sunt; cf. ed. mai. || 4) *cuius numen et caelestis uis* (*deren Gnade und göttliche Macht*): *numen* dicta est caelestis uis, quatenus propitia mortalibus suggerit et concedit quae hos iuuare possunt. Synonymorum cumulus in uerbis Apri praecipue et interdum usque ad offensionem conspicuus pertinet ad naturam eius oratoris a Tacito imitatione expressam. || 5) *ad quam usque fortunam* (*bis zu welchem Wohlstande hin*): dicit fortunam pecuniae siue opum. || 6) *paupertas et angustiae rerum nascentes eos circumsteterunt*: haec spirant poeticum; cf. Horatii Carm. III 2 1: *angustam amice pauperiem pati — puer condiscat*; IIII 3 1: *quem tu, Melpomene, semel nascentem pla-*

exempla sunt, quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum [7], neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos iam annos potentissimi sunt ciuitatis ac, donec libuit, principes fori, nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque [8] cuncta, atque ab ipso principe cum quadam reuerentia diliguntur, quia Vespasianus, uenerabilis senex et patientissimus ueri, bene intellegit, ceteros quidem amicos suos iis niti, quae ab ipso acceperint quaeque ipsi accumulare et in alios congerere promptum est, Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam quod non a principe acceperint nec accipi possit. Minimum [9] inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli et statuae [10], quae neque [11] ipsa tamen negleguntur, tam Hercule quam diuitiae et opes, quas facilius inuenies qui uituperet quam qui fastidiat. His igitur et honoribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum uidemus, qui se ab ineunte adulescentia causis forensibus et oratorio studio dederunt.

cido lumine uideris. || 7) *sine substantia facultatum (ohne Vorrath an Mitteln): ἄνευ οὐσίας πόρων.* Cf. ed. mai. || 8) *agunt feruntque cuncta (alles in Bewegung setzen und treiben lassen): agunt* ut uenti uel tempestates, *ferunt* ut flumina. Inest tecta Vespasiani reprehensio, quae tamen illatis proximis mitigatur; cf. ed. mai. || 9) *minimum — fastidiat:* postquam de fama et notitia oratorum dixit, paucis uerbis documenta famae uel insignia honoris addit. || 10) *imagines ac tituli et statuae:* duo iungit, ius imaginum dignitate curuli impetrari solitum, tum statuam cum inscriptione (*titulo*) basi impressa. Horatii Carm. IIII 8 13: *incisa notis* (= *titulis*) *marmora publicis.* || 11) *neque ipsa:* h. e. *ne ipsa quidem;* cf. c. 34 et annot. ad Annal. II 82 edit. mai.

Nam carmina [1] et uersus, quibus totam uitam Ma- 9
ternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio), neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant neque utilitate *eos* alunt [2]; uoluptatem autem breuem, laudem inanem et infructuosam consequuntur. Licet haec ipsa, et quae deinceps dicturus sum, aures tuae [3], Materne, respuant, cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason [4] diserte loquitur? Quis ideo domum defensus et tibi obligatus redit? Quis Saleium nostrum, egregium poetam uel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum uatem, deducit [5] aut salutat aut prosequitur? Nempe si amicus eius, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te, Materne, non quia poeta es, neque ut pro eo uersus facias: hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem et iucundi, quorum tamen hic exitus est, ut cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte unum librum excudit [6] et elucubrauit, rogare ultro et ambire

Cap. 9 — 10. Carmina et uersus neque dignitatem ullam auctoribus afferunt, neque utilitate eos alunt, uoluptatem autem breuem et infructuosam consequuntur; tum poetarum studium magis quam oratorum offensis obnoxium est. || 1) *nam carmina:* particula causalis refertur ad cogitationem ex proximo enuntiato sponte emergentem: 'quibus in rebus carmina et uersus ab eloquentia longe superantur'. || 2) *neque utilitate eos alunt:* uarietatis ubique studiosus post uerba *neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant* nouam intulit structuram; de scriptura loci dictum in ed. mai. || 3) *aures tuae:* Maternum a quaestu alienum neque pecuniae indigum esse significat. || 4) *Agamemnon aut Iason:* Agamemnon in Thyeste, ut uidetur, Iason in Medea. || 5) *deducit aut salutat aut prosequitur:* *deducit* ex publico domum euntem, *salutat* mane, de lecto ubi surrexit, *prosequitur* siue assectatur egredientem domo. || 6) *excudit et elucubrauit* (*ausgeschweisst und bei Lichte zum Vorschein gebracht hat*): *excudit* laborem

cogatur, ut sint qui dignentur audire, et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur et auditorium extruit et subsellia conducit et libellos dispergit. Et ut beatissimus recitationem eius euentus prosequatur, omnis ista laus intra unum aut alterum diem, uelut in herba uel flore praecepta [7], ad nullam certam et solidam peruenit frugem; nec aut amicitiam inde refert aut clientelam aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem uagum et uoces inanes et gaudium uolucre. Laudauimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset. Pulchrum id quidem indulgentiam principis ingenio mereri: quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium [8] propitiare, suam experiri liberalitatem! Adice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere uelint, relinquenda conuersatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia et, ut ipsi dicunt [9], in nemora
10 et lucos, id est, in solitudinem recedendum est. Ne
opinio quidem et fama, cui soli *in*seruiunt [1] et quod unum esse pretium laboris sui fatentur, aeque poetas quam oratores [in]sequitur, quoniam mediocris poetas [2]

operis, *elucubrauit* longum tempus et noctes operae assumptas denotat. || 7) *uelut in herba uel flore praecepta* (*wie am Kraut oder an der Blüte vorweggenommen*): hoc est, inmatura et ante tempus capta. Herba et flos perinde iunguntur Hist. V 7. De uerbo *praecipere* cf. ad Hist. III 65 ed. mai. || 8) *suum genium propitiare* (*seinen eigenen Genius hold zu stimmen*): genium propitium facimus, cum ei indulgemus eumque curamus. Hoc qui faciunt, se ipsi curant et colunt. Conf. ed. mai. || 9) *ut ipsi dicunt:* Horat. Epist. II 2 77: *scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes, rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra.*

1) *inseruiunt — sequitur:* codices exhibent *seruiunt — insequitur*; cf. ed. mai. || 2) *mediocris poetas nemo nouit:* loqui-

nemo nouit, bonos pauci. Quando enim rarissimarum[3] recitationum fama in totam urbem penetrat? Nedum ut per tot prouincias innotescat. Quotus quisque, cum ex Hispania uel Asia, ne quid de Gallis nostris[4] loquar, in urbem uenit, Saleium Bassum requirit? Atque adeo si quis requirit, ut semel uidit, transit et contentus est, ut si picturam aliquam uel statuam uidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi uolo, tamquam eos, quibus natura sua oratorium ingenium denegauit, deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium[5] et nomen inserere[6] possunt famae. Ego uero omnem eloquentiam[7] omnesque eius partes sacras et uenerabiles puto, nec solum cothurnum uestrum aut heroici carminis sonum[8], sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lasciuias[9] et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus, et quamcumque aliam spe-

tur ad mentem Horatii in Arte poetica 372: *mediocribus esse poetis non homines, non di, non concessere columnae.* || 3) *rarissimarum*: quales perraro habentur, h. e. admodum exquisitae. || 4) *de Gallis nostris:* Aper adhuc colloquitur cum Secundo et Materno, praesente quidem Tacito adolescentulo, sed nullas sermonis partes sustinente. Iam Secundum ex Gallia ortum fuisse supra uidimus (ad c. 2): nunc his uerbis de Apro et Materno idem edocemur. Hinc patet cur Messala, ipse natus in urbe, ad ceteros possit loqui (c. 28): *quamquam uestra uobis notiora sunt.* Adde c. 24: *more ueteri et a uestris philosophis saepe celebrato.* || 5) *otium*: otium audientium uel legentium; cf. Annal. XII 49: *cum priuatus olim — iners otium* (Claudii Caesaris) *oblectaret.* || 6) *nomen inserere — famae* (*ihren Namen in Ruf bringen*): h. e. latius innotescere, siquidem nomen famae insertum late celebratur. Conf. Horat. Carm. I 1 35: *quod si me lyricis uatibus inseris.* || 7) *omnem eloquentiam* (*jede wohlgestaltete Rede*): perinde Maternus poeticam *sanctiorem et augustiorem eloquentiam* uocat c. 4, etiam c. 12. Quam significatum latiorem respiciens eloquentiam quae uulgo dicitur, Aper *oratoriam* appellat c. 5 et 6. || 8) *heroici carminis sonum:* cf. Horat. Serm. I 4 43: *os magna sonaturum.* || 9) *lasciuias*: aman-

ciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo. Sed tecum mihi, Materne, res est, quod, cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat, errare mauis et summa adeptus [10] in leuioribus subsistis. Vt si in Graecia natus esses, ubi ludicras [11] quoque artis exercere honestum est, ac tibi Nicostrati [12] robur ac uires di dedissent, non paterer inmanes illos et ad pugnam natos lacertos leuitate iaculi aut iactu disci uanescere, sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad uera proelia uoco, cum praesertim ne ad illud quidem confugere possis, quod plerisque patrocinatur, tamquam minus obnoxium sit offendere [13] poetarum quam oratorum studium. Efferuescit enim uis pulcherrimae naturae tuae, nec pro amico aliquo, sed, quod periculosius est, pro Catone offendis. Nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide aduocationis aut fortuitae ac subitae dictionis impetu: meditatus uideris, aut elegisse [14] personam notabilem et cum auctoritate dicturam. Sentio quid responderi possit: hinc ingentis *clamores* [15], ex his assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur [16] quietis et securitatis ex-

tium lusus lasciue descriptos; noue dictum. || 10) *summa adeptus:* honorifice de oratoria facultate Materni loquitur, quo facilius illum in suas partes trahat. || 11) *ludicras — artis* (*Fertigkeiten zur Kurzweil*): artes in ludis spectandas. || 12) *Nicostrati robur ac uires* (*des N. Festigkeit und Kräfte*): nominat sui temporis pugilem et luctatorem Graecum; Pausanias V 21 5, Quintilianus II 8 14. || 13) *obnoxium — offendere:* uetus usus probabat *obnoxium ad offendendum*: Tacitus poetas secutus est. || 14) *meditatus uideris, aut elegisse* (*uideris*): illud (*meditatus uideris*) spectat locos quos poeta suo ore profert, hoc ad illos, quos aliis tribuit. || 15) *ingentis* clamores: nomen *clamores* a me insertum aut simile quid uidetur intercidisse; cf. ed. mai. || 16) *tolle igitur — excusationem:* libenter accipit Aper quod sibi

cusationem, cum tibi sumas aduersarium superiorem. Nobis satis sit priuatas et nostri seculi controuersias tueri, in quibus expressit si quando necessitas [17]) pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.

Quae cum dixisset Aper acrius [1]), ut solebat, et 11
intento [2]) ore, remissus et subridens Maternus, Parantem, inquit, me non minus diu accusare oratores quam Aper laudauerat (fore enim arbitrabar ut a laudatione eorum digressus detrectaret poetas atque carminum studium prosterneret), arte quadam mitigauit, concedendo iis qui causas agere non possent, ut uersus facerent. Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti [3]) fortasse possum, ita recitatione tragoediarum et ingredi famam [4]) auspicatus sum, cum quidem in Nerone [5]) improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi, et hodie si quid in nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror carminum

a poetis responderi possit, ut magis pateat periculosum esse poeticae studium. || 17) *expressit si quando necessitas:* hoc perite restituit Lipsius ex corruptis *expressis si quando necesse sit:* nam in his prius uitium assimilatione, alterum litterarum transpositione natum est.

Cap. 11—13. Maternus respondet se in capto consilio persistere uelle: poetas magis ac uerius celebrari quam oratores, fortunam eorum et quietem meliorem esse quam anxiam oratoris uitam. || 1) *acrius* (*etwas heftig*): pro more populari Gallorum. || 2) *intento ore* (*mit Spannung im Gesicht*): Virgil. Aen. II 1: *intentique ora tenebant.* || 3) *efficere aliquid et eniti* (*etwas ausrichten und emporstreben*): *efficere* aliquid pro reis, *eniti* in suam ipsius gloriam. || 4) *ingredi famam*: breuiter pro eo quod est *ingredi uiam famae.* || 5) *in Nerone*: est eadem fabula quae supra (c. 3) *Domitii* nomine uocatur. Et hac de re et de Vatinio dictum in ed. mai. ||

quam orationum gloria partum. Ac iam me deiungere[6] a forensi labore constitui, nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutationum concupisco, non magis quam aera et imagines, quae etiam me nolente in domum meam irruperunt. Nam statum *ciui*sque ac securitatem[7] melius innocentia tueor quam eloquentia; nec uereor ne mihi umquam uerba in senatu nisi pro al-
12 terius discrimine facienda sint. Nemora uero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi adferunt uoluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod non in strepitu nec sedente ante ostium litigatore nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura[1] atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. Haec eloquentiae[2] primordia, haec penetralia[3]; hoc primum habitu cultuque[4] commoda[5] mortalibus in illa casta et nullis contacta uitiis pectora influxit; sic[6] oracula loquebantur. Nam lucrosae[7] huius et sanguinantis eloquentiae usus re-

6) *deiungere* (*ausspannen*): orator causarum in foro tuendarum iugo pressus esse sibi uidetur. || 7) *statum ciuisque ac securitatem*: in codicibus legitur *statum cuiusque ad securitatem*, quod Lipsius mutauit *statum hucusque ac securitatem*, sed *hucusque* de tempore dictum alibi apud Tacitum non inuenitur. Particulae *que ac* uel *que et* saepe a Tacito perinde iunguntur, uelut Annal. I 61: *uisuque ac memoria deformes*.

1) *pura*: pura a probro et scelere. || 2) *eloquentiae*: cf. c. 10 not. 6. || 3) *haec penetralia*: dicit lucos oraculorum. || 4) *hoc primum habitu cultuque* (*in diesem Gewande zuerst und Schmucke*): loquitur de cultu uersuum et numeri. || 5) *commoda*: *gefällig*, hoc est, *sich gefällig erweisend*. Commoda fuit mortalibus eo quod bonis responsis homines adiuuit. || 6) *sic oracula loquebantur*: oracula responsa uersibus concepta dabant. || 7) *lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae* (*dieser gewinnsüchtigen und bluttriefenden Beredsamkeit*): *lucrosam* increpat propter quaestum causidicorum, *sanguinantem* ab atrocitatem illorum qui in causis quaestionum capitalium accusatores pro-

cens et ex malis moribus natus, atque, ut tu dicebas, Aper, in locum teli repertus. Ceterum felix illud et, ut more nostro loquar, aureum seculum et oratorum et criminum inops, poetis et uatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. Nec ullis aut gloria maior aut augustior honor, primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud illos dis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicorum, sed Orphea ac Linum ac, si introspicere altius uelis, ipsum Apollinem accepimus. Vel si haec fabulosa nimis et composita uidentur, illud certe mihi concedis, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec angustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiae aut Hyperidis includi. Plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam quam qui Virgilii detrectent; nec ullus Asinii aut Messalae liber tam inlustris est
quam Medea Ouidii [8]) aut Varii Thyestes. Ac ne for- 13
tunam [1]) quidem uatum et illud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum uita. Licet illos certamina et pericula sua ad consulatus euexerint [2]), malo securum et quietum Virgilii secessum [3]), in quo tamen neque apud diuum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. Testes Augusti epistulae, testis ipse populus, qui auditis in theatro

dibant. || 8) *quam Medea Ouidii aut Varii Thyestes*: Quintilianus X 1 98: *iam Varii Thyestes cuilibet Graecarum comparari potest. Ouidii Medea uidetur mihi ostendere quantum ille uir praestare potuerit, si ingenio suo moderari quam indulgere maluisset.*

1) *fortunam*: honoris modum ac rei familiaris. || 2) *ad consulatus euexerint*: Horat. Carm. I 1 6: *terrarum dominos euehit ad deos.* || 3) *secessum*: Virgilius Campaniae Siciliaeque se-

Virgilii uersibus surrexit uniuersus et forte praesentem spectantemque Virgilium ueneratus est sic quasi Augustum. Ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius[4]) Afro Domitio uel dignitate uitae uel perpetuitate famae cesserit. Nam Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me uocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? Quod timent, an quod timentur? Quod, cum quotidie aliquid rogentur, ii quibus praestant indignantur[5])? Quod adligati omni adulatione[6]) nec imperantibus umquam satis serui uidentur nec nobis satis liberi? Quae haec summa eorum potentia est? Tantum posse liberti solent. Me uero dulces, ut Virgilius ait[7]), Musae, remotum a sollicitudinibus et curis et necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi, in illa sacra illosque fontis ferant; nec insanum[8]) ultra et lubricum[9]) forum famamque pallentem[10]) trepidus experiar. Non me fremitus salutantium nec anhelans[11]) libertus excitet, nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam, nec plus habeam quam quod possim cui uelim relinquere, quandoque fatalis[12]) et meus dies

cessu plurimum usus est. || 4) *Secundus Pomponius:* cf. Annal. V 8 cum annot. ed. mai.; ibidem IIII 52 de oratore Afro Domitio dictum est. || 5) *ii quibus praestant indignantur:* summum indignitatis argumentum est, cum ipsi qui gratia potentiorum iuuantur, tamen indignantur quod eiusmodi ministris uti cogantur. || 6) *adligati omni adulatione (angekoppelt durch jede Art von Kriecherei):* notat Crispi et Marcelli seruilem cum Nerone et Vespasiano amicitiam. Pro *omni* in codicibus *cum* scribitur, quod est correctum a Walthero. || 7) *ut Virgilius ait:* cf. Georg. II 475. || 8) *insanum:* quod sana mente caret. || 9) *lubricum:* ubi cadere et falli promptum est. || 10) *famamque pallentem: pallentem* noue dicit famam, quae pallere facit eos qui ipsam possident. Conf. quod est in prologo Persii *pallidamque Pirenen.* || 11) *anhelans (keuchend):* qui propter festinationem ilia ducit in suo aut patroni periculo. || 12) *quan-*

ueniet; statuarque tumulo non maestus et atrox, sed hilaris et coronatus; et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget [13]).

Vixdum finierat Maternus, concitatus [1]) et uelut in- 14
stinctus, cum Vipstanus [2]) Messala cubiculum eius ingressus est, suspicatusque ex ipsa intentione singulorum altiorem inter eos esse sermonem, Num parum tempestiuus, inquit, interueni secretum consilium et causae alicuius meditationem tractantibus?

Minime, minime, inquit Secundus; atque adeo uellem maturius interuenisses; delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas conuerteret exhortatus est, et Materni pro carminibus suis laeta [3]), utque poetas defendi decebat, audentior et poetarum quam oratorum similior oratio.

Me uero, inquit, et sermo ipse infinita uoluptate adfecisset, atque id ipsum delectat, quod uos, uiri optimi et temporum nostrorum oratores, non forensibus tantum negotiis et declamatorio studio ingenia uestra exercetis, sed eiusmodi etiam disputationes adsumitis, quae et ingenium alunt et eruditionis ac litterarum iucundis-

doque fatalis: cf. ed. mai. || 13) *nec consulat quisquam nec roget:* consulet senatum, roget principem.

Cap. 14—15. Interuenit colloquentibus Vipstanus Messala, qui forensia sui temporis negotia et studium declamandi oblique insectatur, ueteres oratores multum praestare professus. || 1) *concitatus et uelut instinctus: aufgeregt und gleichsam begeistert.* || 2) *Vipstanus Messala:* ex posteris Messalae Coruini, oratoris clari, Taciti aequalis aetate prior et amicus, de quo numquam nisi cum aliqua uoluptate tradidit, praecipue Hist. III 9, IIII 42; cf ibid. III 11 et 18 et 25 et 28. || 3) *laeta (blühende):* quae uiget et floret, laetis

simum oblectamentum cum uobis, qui ista disputatis, adferunt, tum etiam iis ad quorum aures peruenerint. Itaque hercle non minus probari uideo in te, Secunde, quod Iulii Asiatici [4]) uitam componendo spem hominibus fecisti plurium eiusmodi librorum, quam in Apro, quod nondum ab scholasticis controuersiis recessit et otium suum mauult nouorum rhetorum more quam ueterum oratorum consumere.

15 Tum Aper, Non desinis, Messala, uetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia inridere atque contemnere? Nam hunc tuum sermonem saepe excepi, cum oblitus et tuae et fratris tui [1]) eloquentiae neminem hoc tempore oratorem esse contenderes, antiquis eo, credo, audacius *aequus* [2]), quod malignitatis [3]) opinionem non uerebaris, cum eam gloriam quam tibi alii concedunt ipse tibi denegares.

Neque illius, inquit, sermonis mei paenitentiam [4])

coloribus distincta. || 4) *Iulii Asiatici uitam:* hunc non alium fuisse atque Asiaticum in ducibus Galliarum qui cum Vindice bellassent in Hist. II 94 memoratum, hinc uerisimile quod Iulius Secundus et ipse ex Gallis ortus (c. 2) uitam popularis sui composuerit.

1) *fratris tui:* Regulum dicit, qui principe Nerone delationes factitauerat, mox pietate fratris protectus (H. IIII 42) grauiorem poenam effugit, ut licet colligere tum ex his uerbis, tum ex uersibus Martialis (IIII 16) Reguli eloquentiam sub Domitiano celebrantibus. || 2) *contenderes, antiquis — audacius* aequus: lectio loci non satis certa est; alii haec coniecerunt: aut *contenderes parem antiquis*, aut *contenderes, atque id* Lipsius, *contenderes antiquis similem* Weissenborn, *contenderes prae antiquis* Halm, cet. || 3) *malignitatis*: malignae inuidiae. Loquitur de illa inuidia, de qua Horatius (Carm. III 24 31) sic cecinit: *uirtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus inuidi.* His conuenientia mox in hoc libro (c. 18) sequuntur: *uitio autem malignitatis humanae uetera semper in laude, praesentia in fastidio esse.* || 4) *paenitentiam ago*: noua locutio, quam admisit

ago, neque aut Secundum aut Maternum aut te ipsum, Aper, quamquam interdum in contrarium disputes, aliter sentire credo. Ac uelim impetratum ab aliquo uestrum ut causas huius infinitae differentiae scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro. Et quod quibusdam solatio est, mihi auget quaestionem, quia uideo etiam Grais accidisse ut longius absit Aeschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes, et si quis alius Ephesum uel Mytilenas concentu scholasticorum [5]) et clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus [6]) aut uos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.

16 Magnam, inquit Secundus, et dignam tractatu quaestionem mouisti. Sed quis eam iustius explicabit quam tu, ad cuius summam eruditionem et praestantissimum ingenium cura quoque et meditatio accessit?

Et Messala, Aperiam, inquit, cogitationes meas, si illud a uobis ante impetrauero, ut uos quoque sermonem hunc nostrum adiuuetis.

Pro duobus, inquit Maternus, promitto. Nam et ego et Secundus exequemur eas partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire et tu paulo ante dixisti et ipse satis

ut pergere mox posset eadem uia dicendi *neque credo.* || 5) *concentu scholasticorum et clamoribus quatit* (*zittern macht*): ut in terrae motu, sic clamoribus scholasticorum Ephesus et Mytilenae quati dicuntur. Conf. Iuuenalis I 13: *adsiduo ruptae lectore columnae.* || 6) *Africanus:* est Iulius Africanus, aequalis Domitii Afri, de quo u. Annal. VI 7. Quintilianus X 1 118: *hic concitatior, sed in cura uerborum nimius et compositione nonnumquam longior et translationibus parum modicus.* Idem VIII 5 15: *insigniter Africanus apud Neronem de morte matris 'rogant te, Caesar, Galliae tuae, ut felicitatem tuam fortiter feras.'*

Cap. 16—17. Ceteris in laudem ueteris eloquentiae

manifestus [1]) est iamdudum in contrarium accingi nec aequo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam.

Non enim, inquit Aper, inauditum [2]) et indefensum seculum nostrum patiar hac uestra conspiratione [3]) damnari. Sed hoc primum interrogabo, quos uocetis antiquos [4]), quam oratorum aetatem significatione ista determinetis. Ego enim cum audio antiquos, quosdam ueteres et olim natos intellego; ac mihi uersantur ante oculos Vlixes ac Nestor, quorum aetas mille fere et trecentis annis seculum nostrum antecedit: uos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita tamen ut utrique superstites essent. Ex quo apparet non multo plures quam trecentos annos [5]) interesse inter nostram et Demosthenis aetatem. Quod spatium temporis si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum uideatur; si ad naturam seculorum ac respectum inmensi huius aeui, perquam breue et in proximo est. Nam si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est magnus et uerus annus, quo eadem positio caeli siderumque,

consentientibus, Aper diuersam partem suscipit ac primum nullo iure distingui nouos oratores et antiquos studet probare. || 1) *manifestus est — accingi:* structura Graeca est (δῆλός ἐστι περιζώννυσθαι), ut Annal. II 57: *dissentire manifestus.* || 2) *inauditum et indefensum* (*ohne Gehör und Vertheidigung*): non auditum ab ipso, non defensum ab aliquo patrono nostri seculi. || 3) *conspiratione:* non esse *concordiam,* ut Maternus dixerat, sed *conspirationem* in detrimentum praesentis seculi reponit Aper. || 4) *primum interrogabo, quos uocetis antiquos* sqq.: est artificium ueteratoris, qui aduersarios conatur supplantare et turbare eo quod fundamentum qaestionis non esse affirmat. || 5) *non multo plures quam trecentos annos: quadringentos* commendauit Lipsius; cf. ed. mai.

quae cum maxime est, rursum existet, isque annus horum quos nos uocamus annorum duodecim milia nongentos quinquaginta quattuor complectitur, incipit Demosthenes uester, quem uos ueterem et antiquum fingitis, non solum eodem anno quo nos, sed fere eodem mense extitisse. Sed transeo ad Latinos oratores, in 17
quibus non Menenium, ut puto, Agrippam[1]), qui potest uideri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis, sed Ciceronem et Caesarem et Caelium et Caluum et Brutum et Asinium et Messalam; quos quid antiquis temporibus potius ascribatis quam nostris, non uideo. Nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa consulibus, ut Tiro libertus eius scripsit, septimum[2]) idus Decembres occisus est, quo anno diuus Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Q. Pedium consules suffecit. Statue sex et quinquaginta annos, quibus mox diuus Augustus rem publicam rexit; adice Tiberii tres et uiginti, et prope quadriennium Gai, ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos, atque illum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum, ac sextam iam felicis huius principatus stationem[3]), qua Vespasianus rem publicam fouet: centum et uiginti anni

1) *Menenium, ut puto, Agrippam:* de huius eloquentia cf. Liuii II 32. Verba *ut puto* irrisionem quandam et contemptum indicant; u. c. 21: *cum unum et uiginti, ut puto, libros reliquerit.* Sic quoque c. 25 et 37. || 2) *septimum:* codicum notam *VII.* etiam *septimo* resoluere poteris, sed illud (*septimum*) Taciti usus magis commendat, de quo dictum ad Annal. VI 50 ed. mai. || 3) *sextam stationem:* imperator tamquam custos ciuitatis in excubiis positus cogitatur. Sic singulos imperii annos *stationes* appellare licet. Sextus principatus annus Vespasiani incidit in a. 75 a Christo nato; eo anno colloquium habitum fingitur. ||

ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas. Nam ipse ego in Britannia uidi senem, qui se fateretur ei pugnae interfuisse, qua Caesarem inferentem arma Britanni[4]) arcere litoribus et pellere adgressi sunt. Ita si eum, qui armatus C. Caesari restitit, uel captiuitas uel uoluntas uel fatum aliquod in urbem pertraxisset, idem Caesarem ipsum et Ciceronem audire potuit et nostris quoque actionibus interesse. Proximo quidem congiario[5]) ipsi uidistis plerosque senes, qui se a diuo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant. Ex quo colligi potest et Coruinum ab illis et Asinium audiri potuisse; nam Coruinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum durauit[6]): ne diuidatis seculum, et antiquos ac ueteres uocetis oratores, quos eorundem hominum aures agnoscere ac uelut coniungere et copulare[7]) potuerunt.

18 Haec ideo praedixi, ut si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus adquiritur, eandem docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Seruio Galbae aut C. Carboni quosque alios merito antiquos uocauerimus. Sunt enim horridi[1]) et impoliti et rudes

4) *Britanni:* codices *britanniae*, quod uitium nunc demum uidi et correxi.|| 5) *proximo quidem congiario:* dicit congiarium populo Romano datum a Tito, principis filio, a. 72 a Christo nato, h. e. tribus annis ante hunc sermonem. || 6) *durauit:* uitam produxit. Ann. III 16: *qui nostram ad iuuentam durauerunt.* || 7) *coniungere et copulare* (*an einander reihen und verbinden*): Cicero in Oratore c. 45: *libenter etiam copulando uerba iungebant, ut sodes pro si audes, sis pro si uis.*

Cap. 18. Mutantur cum temporibus formae et genera dicendi, nec deterius est quod ab antiquo distat. ||
1) *horridi et impoliti* (*rauh und ungefeilt*) *et rudes et informes*

et informes, et quos utinam nulla [2]) parte imitatus esset Caluus uester aut Caelius aut ipse Cicero. Agere enim fortius iam et audentius uolo, si illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. Sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior [3]) et uberior, sic Graccho politior et ornatior Crassus, sic utroque distinctior [4]) et urbanior et altior Cicero, Cicerone mitior [5]) Coruinus et dulcior et in uerbis magis elaboratus. Nec quaero quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae uultum, sed in illis quoque quos uocatis antiquos plures species deprehendi, nec statim deterius esse quod diuersum est, uitio autem malignitatis [6]) humanae uetera semper in laude, praesentia in fastidio esse. Num dubitamus inuentos qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur? Satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exultans [7]) et superfluens et parum Atticus [8]) uideretur. Legistis utique et Calui et Bruti

(*starr und gestaltlos*): prius pertinet ad uerba horrida et auribus molesta, hoc ad compositionem eiusmodi orationis quae parum uolubilis et non bene iuncta est. || 2) *nulla parte:* fortasse fuit *ne ulla parte:* || 3) *C. Gracchus plenior et uberior:* Cicero in Bruto 33: *sed ecce in manibus — C. Gracchus. Noli enim putare quemquam, Brute, pleniorem et uberiorem ad dicendum fuisse.* || 4) *distinctior et urbanior* (*schmuckreicher und witziger*): distinctiorem cogita luminibus sententiarum, urbaniorem sale et facetiis. || 5) *mitior — et dulcior* (*milder und süsser*): mitior in affectibus mouendis, dulcior in componendis uerbis. || 6) *malignitatis humanae:* cf. c. 15 not. 3. || 7) *exultans et superfluens* (*sich bäumend und überfluthend*): metaphorice loquitur, imagine sumpta a feroce equo (*exultans*) et a tumido fluuio. || 8) *parum Atticus:* hoc respondet praegresso *nec satis pressus* (*gedrängt*). De illis Ciceronis obtrectatoribus, qui Attice se loqui simulabant et lu-

ad Ciceronem missas epistulas [9]), ex quibus facile est deprehendere Caluum quidem Ciceroni uisum exsanguem et attritum [10]), Brutum autem otiosum atque diiunctum; rursusque Ciceronem a Caluo quidem male audisse tamquam solutum et eneruem [11]), a Bruto autem, ut ipsius uerbis utar, tamquam fractum atque elumbem [12]). Si me interroges, omnes mihi uidentur uerum dixisse: sed mox ad singulos ueniam; nunc mihi cum uniuersis negotium est.

19 Nam [1]) quatenus antiquorum admiratores hunc uelut

xuriantem Ciceronem carpebant, cf. Ciceronis Orat. 7—9 et 23, Brut. 82, de optimo gen. orat. 3, Tuscul. II 1. Quintil. XII 10 12—14. || 9) *Calui et Bruti ad Ciceronem missas epistulas:* nobis perierunt. Mucianus illas sub Vespasiani principatu ediderat; cf. c. 37. || 10) *exsanguem et attritum* (*ohne Blut und Kraft*): Cicero in Bruto c. 82 de Caluo: *nimium inquirens in se atque ipse sese obseruans, metuensque ne uitiosum colligeret, etiam uerum sanguinem deperdebat* (*exsanguis* apud Tacitum). *Itaque eius oratio nimia religione attenuata* (hoc noue Tacitus *attritum* uocauit). Statim *otiosus* (*behaglich*) est qui in dicendo diligentiam non adhibet, *diiunctus* (*ohne Verbindung*), cuius oratio breuibus enuntiatis constat ac raro in uerborum ambitum colligitur. || 11) *solutum et eneruem* (*ohne Band und Muskelkraft*): solutum uocabat, tamquam uerbis et enuntiatis iunctura deesset, *eneruem* ut uiribus oratoris carentem. || 12) *fractum atque elumbem* (*zerknicht und lendenlahm*): fractus qui iusta uerborum compositione eget, elumbis qui mollia consectatur more oratorum Asiaticorum. Quintilianus XII 10 12: *quem — suorum homines temporum incessere solebant ut tumidiorem, et in compositione fractum, exultantem ac paene, quod procul absit, uiro molliorem* (= elumbem).

Cap. 19—20. Cassius Seuerus, quem antiquorum admiratores terminum antiquitatis constituere solent, a uetere dicendi uia deflexit iudicio et intellectu. Quippe nostro tempore impexa simplicitas antiquitatis non sufficit; nouis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est.||
1) *nam quatenus — faciunt:* in hoc loco, cuius scriptura non satis certa est, secutus sum codicem Leidensem siue Perizonianum,

terminum antiquitatis constituere solent usque ad Cassium Seuerum, quem reum faciunt[2]), quem primum adfirmant flexisse ab illa uetere atque directa dicendi uia, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad illud dicendi genus contendo, sed iudicio et intellectu. Vidit namque, ut paulo ante dicebam, cum conditione temporum et diuersitate aurium formam quoque et speciem orationis esse mutandam. Facile perferebat prior ille populus, ut imperitus et rudis, impeditissimarum[3]) orationum spatia, atque id ipsum laudabat, si dicendo quis diem eximeret. Iam uero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum diuisionum ostentatio et mille argumentorum gradus, et quicquid aliud aridissimis Hermagorae[4]) et Apollodori libris praecipitur, in honore erat; quod si quis odoratus[5]) philosophiam uideretur et ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in caelum laudibus ferebatur. Nec mirum: erant enim haec noua et incognita, et ipsorum quoque oratorum paucissimi praecepta rhetorum aut philosophorum placita cognouerant. At Hercule peruulgatis iam omnibus, cum uix in cortina[6]) quisquam

an

nisi quod ille scribit *solent*? || *usque* cet. punctum ibi suppositum indicat uocem a me omissam delendam esse; cf. ed. mai. || 2) *quem reum faciunt* (*den sie in Anklage versetzen*): quem ut corruptorem eloquentiae accusant. Statim *flexisse* est sensim sensimque abisse. || 3) *impeditissimarum*: quarum partes male cohaerent et intellectum audientis impediunt. || 4) *Hermagorae et Apollodori libris*: Hermagoras et Apollodorus Augusti temporibus τέχνας, h. e. praecepta eloquentiae in compendium redacta, scripsere, alter Temno insula, alter Pergamo ortus; cf. ed. mai. || 5) *odoratus* (esse): naso tenus excepisse, animo non inbibisse; noue dictum. || 6) *in cortina*: *cortina* (λέβης), quod uas rotundum cauumque

adsistat quin elementis studiorum, etsi non instructus, at certe imbutus sit, nouis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos iudices, qui ui et potestate, non iure aut legibus cognoscunt, nec accipiunt tempora, sed constituunt, nec expectandum habent oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admonent atque alio transgredientem reuocant et festinare se te-
20 stantur. Quis nunc feret oratorem de infirmitate ualitudinis suae praefantem, qualia sunt fere principia [1] Coruini? Quis quinque in Verrem libros expectabit [2]? Quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa uolumina quae pro M. Tullio et Aulo Caecina legimus? Praecurrit hoc tempore iudex dicentem, et nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum [3] inuitatus et corruptus est, auersatur dicentem. Vulgus quoque adsistentium et adfluens et uagus auditor adsueuit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis; nec magis perfert in iudiciis tri-

proprie dicitur, nunc multitudinem post tribunal et subsellia in extremo orbe circumstantium indicat. Ad hanc interpretationem ducit uerbum *adsistat*, c. 20 *uulgus adsistentium*. Ipsa locutio *in cortina* (im *Kessel*) ex uulgi sermone uidetur nata esse.

1) *qualia sunt fere principia Coruini*: Quintilianus IIII 1 8: *quaedam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos et impares agentium contra ingeniis dixerimus, qualia sunt pleraque Messalae prooemia.* || 2) *expectabit:* ad finem audiet. || 3) *descriptionum* (*Charakterzeichnungen*): descriptiones morum dicit, quales composuit Theophrastus χαρακτήρων nomine. Cic Top. 22: *additur etiam descriptio quam Graeci χαρακτῆρα uocant. — Descriptio, qualis sit auarus, qualis assentator, ceteraque eiusdem generis in quibus natura et uita describitur.* || 4) *tristem et impexam:* tristis opponitur laeto, impexus polito. Hoc (*impexus*) a poetis proprie dictum Tacitus transtulit ad cultum orationis neglectum. ||

stem[4]) et impexam antiquitatem, quam si quis in scena Roscii aut Turpionis[5]) [aut Ambiuii] exprimere gestus uelit. Iam uero iuuenes et in ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire sed etiam referre domum aliquid inlustre et dignum memoria uolunt; traduntque in uicem ac saepe in colonias et prouincias suas scribunt, siue sensus aliquis arguta et breui sententia effulsit[6]), siue locus exquisito et poetico cultu enituit. Exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuuii ueterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus. Horum igitur auribus et iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatior extitit. Neque ideo minus efficaces sunt orationes nostrae, quia ad aures iudicantium cum uoluptate perueniunt. Quid enim, si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi caemento et informibus tegulis extruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur[7])?

5) *Turpionis:* in codicibus est *Turpionis, aut Ambiuii*, unde Lipsius fecit *Turpionis Ambiuii*, sed concinnitas loci postulat ut uterque histrio aut duobus aut uno nomine appelletur. Roscius cum uno uocatus sit, etiam alter histrio aut nomine gentili suo (*Ambiuii*) aut cognomento (*Turpionis*) contentus esse debebat. Eodem modo proxime *Accius, Pacuuius, Horatius, Virgilius, Lucanus* memorantur. Hinc in maiore editione scripsi *Ambiuii*: nunc *Turpionis* praetuli: nam ipsa particula *aut* ante *Ambiuii* nomen perperam posita hoc prodit, *aut Ambiuii* additamentum esse eius qui *Turpionem* etiam *Ambiuium* nominatum esse meminisset. || 6) *siue sensus aliquis arguta et breui sententia effulsit* (*sei es dass ein Gedanke in feinem und kurzem Spruch aufgeleuchtet ist*): Quintilianus VIII 5 1: *sententiam ueteres quod animo sensissent uocauerunt. — Sed consuetudo iam tenuit ut mente concepta sensus uocaremus, lumina autem praecipueque in clausulis posita sententias.* || 7) *radiantur:* radios emittunt; a poetis hoc acceptum.

21 Equidem fatebor uobis simpliciter me in quibusdam antiquorum uix risum, in quibusdam autem uix somnum tenere. Nec[1] unum de populo, *non* Canutii aut Arrii *deformia memorabo*, quique alii in eodem ualitudinario haec ossa et hanc maciem probant. Ipse mihi Caluus, cum unum et uiginti, ut puto, libros reliquerit, uix in una et altera oratiuncula satisfacit. Nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio uideo: quotus enim quisque Calui[2] * in Asitium aut in Drusum legit? At Hercule in hominum studiosorum manibus uersantur accusationes quae in Vatinium inscribuntur, ac praecipue secunda ex iis oratio. Est enim uerbis ornata et sententiis, auribus iudicum accommodata, ut scias ipsum quoque Caluum intellexisse quid melius esset, nec uoluntatem ei, quo sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac uires defuisse. Quid[3] ex Caelianis orationibus *placet?*

Cap. 21—23. Antiquis oratoribus cultus et laetitia huius seculi defuit. Sordes uerborum, hians et iners compositio apud plerosque deprehenditur, etiam in Ciceronis orationibus. || 1) *nec unum — memorabo:* haec uerba in codicibus misere corrupta circumferuntur ac certa quadam coniectura uix restitui posse uidentur. In libro ceteris meliore haec sunt: *nec unum de populo Canuti: aut atti de furnio et toranio;* cf. ed. mai. || 2) *Calui * in Asitium:* excidit nomen aliquod, fortasse *interrogationem.* Ellipsis admitti potest in huiusmodi locis, cum praepositione adiuuatur, ut in Cic. Orat. c. 70: *sume de Gracchi apud Censores illud.* Etiam nomen *Asitii* suspectum est. || 3) *quid ex Caelianis orationibus* placet? *nempe eae placent:* uerbum post *orationibus* intercidisse hinc patet, quod a particula *nempe* nouum enuntiatum incipere debet; cf. c. 9. Si uere suppletum est *placet*, in responsione idem uerbum non sine ui repetitur: *jawohl diejenigen gefallen*, — *welche* cet. Vafer sui seculi patronus hoc studet fortiter insinuare, quo propius antiqui oratores ad nouos accedant, eo meliores esse, quo longius

Nempe eae placent, siue uniuersae siue partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem illae uerborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem; nec quemquam adeo antiquarium[4]) puto, ut Caelium ex ea parte laudet qua antiquus est. Concedamus sane C. Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam diuinum eius ingenium postulabat, tam Hercule quam Brutum philosophiae suae relinquamus: nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur. Nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis[5]) ac teporis libros legit, nisi[6]) qui et carmina eorundem miratur. Fecerunt enim et carmina et in bibliothecas rettulerunt, non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam[7]) propioribus temporibus natus sit, uidetur mihi inter Menenios et Appios studuisse[8]). Pacuuium certe et Accium non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit; adeo durus et siccus est: oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra

absint, tanto minus probari. || 4) *antiquarium* (*Alterthümler*): pro antiquitatis amatore h. l. positum est et 37 et c. 42; cf. Iuuenalis VI 454: *ignotosque mihi tenet antiquaria uersus.* || 5) *lentitudinis ac teporis libros* (*schleppende und laue Werke*): qui lente progrediuntur neque incalescunt. || 6) *nisi qui—miratur:* quod praecedit *nisi forte quisquam legit*, hoc idem ualet ac *nemo enim legit.* Ex hac notione pronominis *nemo* pendet *nisi qui.* || 7) *quamquam—natus sit:* structura Tacito et aequalibus familiaris; cf. c. 6 et 15 et 18 et 24 et 26, Annal. I 3 et 24 cet. || 8) *studuisse:* antiqui dicunt *didicisse*, Plinius, Quintilianus, Ta-

est, in qua non eminent uenae nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris, ipsosque neruos rubor tegit et decor commendat. Nolo Coruinum insequi, quia nec[9] per ipsum stetit quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret. **uiderimus[10] in quantum iudicio eius uis
22 aut animi[11] aut ingenii suffecerit. Ad Ciceronem uenio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit quae mihi uobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat; nec ulla re magis oratores aetatis eiusdem praecurrit quam iudicio. Primus enim excoluit orationem, primus et uerbis delectum adhibuit et compositioni artem. Locosque laetiores attemptauit et quasdam sententias inuenit, utique in iis orationibus quas iam senior et iuxta finem uitae composuit, id est, postquam magis profecerat, usuque et experimentis didicerat quod optimum dicendi genus esset. Nam priores eius orationes non carent uitiis antiquitatis: lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus[1] circa excessus; tarde commouetur[2], raro incalescit;

citus hoc uerbo studia eloquentiae comprehendunt. || 9) *quia nec per ipsum stetit: nec* more a poetis assumpto est *ne-quidem*; cf. c. 34 et annot. ad Annal. II 82 ed. mai. || 10) *uiderimus in quantum-suffecerit:* est *ἀπόδοσις*, cuius *πρότασις* periit. || 11) *aut animi aut ingenii: animi* quo uerum intellegeret, *ingenii* quo recta inueniret.

1) *otiosus circa excessus* (*behaglich bei Abschweifungen*): sine cura admiscens egressiones non ex ipsa causa petitas. Quintilianus III 9 4: *egressio uero uel quod usitatius esse coepit excessus, siue est extra causam, non potest esse pars causae, siue est in causa, adiutorium et ornamentum partium est earum ex quibus egreditur.* || 2) *tarde commouetur, raro incalescit: langsam kommt*

pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur. Nihil excerpere, nihil referre[3] possis; et uelut in rudi aedificio, firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem[4] ac lautum patrem familiae, non tantum eo uolo tecto tegi quod imbrem ac uentum arceat, sed etiam quod uisum et oculos delectet; non ea solum instrui supellectile quae necessariis usibus sufficiat, sed sit in apparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus et aspicere saepius libeat. Quaedam uero procul arcebuntur[5] ut iam oblitterata et olentia[6]: nullum sit uerbum uelut rubigine infectum, nulli sensus tarda et inerti structura in morem annalium componantur; fugitet foedam et insulsam scurrilitatem, uariet compositionem, nec omnes clausulas uno et eodem modo determinet. Nolo 23
inridere 'rotam[1] Fortunae' et 'ius[2] Verrinum' et illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum 'esse uideatur'. Nam et haec inuitus rettuli, et

er zur Rührung, selten in Feuer. || 3) *referre:* referre domum; cf. c. 20. || 4) *locupletem ac lautum* (*einen reichen und schmucken*): locuples opibus abundat, lautus specie sua diuitem se esse indicat. || 5) *arcebuntur:* codices scribunt *arceantur*, Lipsius *arceantur.* || 6) *olentia:* pro adiunctis est *male olentia*, sed fortasse fuit *obolentia.*

1) *rotam Fortunae*: Cic. in Pison. c. 10: *in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium uersaret orbem, Fortunae rotam pertimescebat.* Fortunae rotam intellege quam dea corporis sui motu et se torquendo fecit (*der Fortuna Purzelschlag*). Hoc iudice Apro est uerbum *uelut rubigine infectum.* || 2) *ius Verrinum:* iniuriam Aper, iniquus ueterum irrisor, Ciceroni nunc facit: nam illud dictum Cicero non ex suo sed ex ore Siculorum ad dicacitatem inclinantium protulit in Verr. lib. I 46; cf. ed. mai. ||

plura omisi, quae tamen sola mirantur atque exprimunt ii qui se antiquos oratores uocant. Neminem nominabo, genus hominum significasse contentus: sed uobis utique uersantur ante oculos isti, qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt; quibus eloquentia Aufidii Bassi [3]) aut Seruilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet; qui rhetorum [4]) nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calui mirantur. Quos more prisco apud iudicem fabulantes non auditores sequuntur, non populus audit, uix denique litigator perpetitur [5]): adeo maesti et inculti illam ipsam, quam iactant, sanitatem non firmitate sed ieiunio consequuntur. Porro ne in corpore quidem ualitudinem medici probant quae animi anxietate contingit; parum est aegrum non esse: fortem et laetum et alacrem uolo. Prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. Vos uero, disertissimi, ut potestis, ut facitis, inlustrate seculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. Nam et te, Messala, uideo laetissima quaeque antiquorum imitantem, et uos, Materne ac Secunde, ita grauitati sensuum nitorem et cultum [6]) uerborum miscetis, ea electio inuentionis, is ordo rerum, ea, quotiens causa poscit, ubertas, ea, quotiens permittitur, breuitas, is compositionis decor, ea sententiarum

3) *Aufidii Bassi aut Seruilii Noniani: Aufidius Bassus*, orator et rerum scriptor, Claudio principe, *Seruilius Nonianus*, eloquentia et rebus tradendis clarus, sub Nerone uitam finiuit; cf. Taciti Annal. XIII 20, XIIII 19. Quintilianus X 1 102—103. || 4) *rhetorum nostrorum commentarios:* i. q. oratorum nostrorum libros. || 5) *pepetitur:* ad finem usque audit. || 6) *nitorem et cultum (Glanz und Schmuck):* *nitor* ad delectum pertinet, *cultus* ad iuncturam uerborum, illum lingua subministrat, hunc orator praebet. ||

planitas[7]) est, sic exprimitis[8]) adfectus, sic libertatem temperatis, ut etiamsi nostra iudicia malignitas et inuidia tardauerit, uerum de uobis dicturi sint posteri nostri.

Quae cum Aper dixisset, Agnoscitisne, inquit Maternus, uim et ardorem Apri nostri? Quo torrente[1]), quo impetu seculum nostrum defendit! Quam copiose ac uarie uexauit antiquos! Quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte ab ipsis mutuatus est per quae mox ipsos incesseret! Tuum tamen, Messala, promissum immutasse[2]) non debet. Neque enim defensorem antiquorum exigimus, nec quemquam nostrum, quamquam modo laudati sumus, iis quos insectatus est Aper comparamus. Ac ne ipse quidem ita sentit, sed more ueteri et a uestris[3]) philosophis saepe celebrato sumpsit sibi contradicendi partes. Igitur exprome nobis non laudationem antiquorum (satis enim illos fama sua laudat), sed causas cur tantum ab elo- 24

7) *sententiarum planitas* (*der Denksprüche sanfter Fall*): ut *planum* contrarium est eius quod praeceps et praeruptum, ita *planitas* (*Ebenmässigkeit*) opponitur inaequalitati et hianti compositioni, quae in sententiis magis uitanda est, quod ipsae in fine collocantur et cum lumine quodam terminantur. Diuersa est explicatio Doederlinii: 'significantur sententiae, quae in summa proprietate et nouitate tamen faciles eaedem intellectu sint.' || 8) *exprimitis adfectus*: exprimitis ac redditis dicendo; cf. c. 26: *ut histrionales modos exprimant.*

Cap. 24. Maternus Messalam hortatur, ut causas expromat cur tantum ab eloquentia ueterum noui recesserint. || 1) *quo torrente, quo impetu*: noue pro *quo tamquam torrentis impetu.* Conf. Horatii Serm. I 7 26: *ruebat flumen ut hibernum.* || 2) *immutasse non debet* (*darf nicht umgestimmt haben*): his recusat effectum, quem ne iam adsit timet: *immutare non debet* deprecatur effectum qui fieri potest. || 3) *a uestris*

quentia eorum recesserimus, cum praesertim centum et uiginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit.

25 Tum Messala, Sequar praescriptam a te, Materne, formam. Neque enim diu contradicendum est Apro, qui primum, ut opinor [1], nominis controuersiam mouit [2], tamquam parum proprie antiqui uocarentur quos satis constat ante centum annos fuisse. Mihi autem de uocabulo pugna non est; siue illos antiquos siue maiores siue quo alio mauult nomine appellet, dummodo in confesso sit eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti sermonis eius repugno, si *cum* om*nibus* [3] fatetur plures formas dicendi etiam isdem seculis, nedum diuersis extitisse. Sed quomodo inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur, proximum autem locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus obtinent, omnium autem concessu haec oratorum aetas maxime probatur, sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Caluus autem et Asinius et Caesar et Caelius et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. Nec

philosophis: sic loquitur qui non in urbe natus sed ex Gallia (c. 10) ortus est; dicit Academicos; u. Ciceronis de Off. III 4.

Cap. 25. Messala respondet Apro primum de nominis controuersia ab hoc mota, tum de pluribus eiusdem seculi formis dicendi, de obtrectationibus quibus ueteres oratores se in uicem incesserunt. || 1) *ut opinor:* cf. cap. 17 not. 1. || 2) *nominis controuersiam mouit* (*einen Widerspruch gegen den Namen angeregt hat*): *mouendi* uerbum quaesitum illud et molestum artificium designat. || 3) *si cum omnibus fatetur:* in codicibus est *si cominus fatetur;* cf. ed. mai. ||

refert quod inter se specie differant[4]), cum genere consentiant. Astrictior[5]) Caluus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior[6]) Caelius, grauior Brutus, uehementior et plenior et ualentior Cicero: omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae ferunt, ut si omnium pariter libros in manum sumpseris, scias, quamuis in diuersis ingeniis, esse quandam iudicii ac uoluntatis similitudinem et cognationem. Nam quod in uicem se obtrectauerunt et sunt aliqua epistulis eorum inserta ex quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum uitium sed hominum. Nam et Caluum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et inuidere et liuere et ceteris humanae infirmitatis uitiis adfici: solum inter hos arbitror Brutum[7]) non malignitate nec inuidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse. An ille Ciceroni inuideret, qui mihi uidetur ne Caesari quidem inuidisse? Quod ad Ser. Galbam et C. Laelium attinet, et si quos alios antiquorum agitare non destitit, non exigit defensorem, cum fatear quaedam eloquentiae eorum ut nascenti adhuc nec satis adultae defuisse.

Ceterum si omisso optimo illo et perfectissimo 26
genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim Hercule C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem

4) *differant* (*verschieden sein sollen*): differre dicuntur. Sed fortasse a Taciti manu uenit *differunt* atque hoc praua assimilatione (*differant-consentiant*) corruptum est; hoc coniecit Halmius. || 5) *astrictior Caluus, numerosior Asinius: straffer ist Calvus, wohltönender Asinius.* || 6) *amarior Caelius:* acerbus et dicax in aduersarios fuit; cf. ed. mai. || 7) *solum — Brutum* sqq.: adolescentulus Tacitus libertatis uindicem magnopere ueneratur.

Cap. 26. Noua quae Cassius Seuerus inuenit, uitia

quam calamistros[1]) Maecenatis aut tinnitus Gallionis. Adeo melius est oratorem uel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis uestibus[2]) insignire. Neque enim oratorius iste, immo Hercule ne uirilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum *or*atores[3]) ita utuntur, ut lasciuia uerborum et leuitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos[4]) exprimant. Quodque uix auditu fas esse debeat, laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique commentarios suos. Vnde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens secuti[5]) *coetus* la*us* et exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur. Equidem non negauerim Cassium Seuerum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si iis comparetur qui postea fuerunt, posse oratorem uocari, quamquam in magna parte librorum suorum plus uis[6]) habeat quam sanguinis. Primus enim contempto ordine rerum, omissa modestia ac pudore uerborum, ipsis etiam

sunt, non uirtutes, quamquam ipse proximos oratores superauit. || 1) ***calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis*** (***die krausen Locken des Maecenas oder das Schellengeklingel des Gallio***): prius pertinet ad cultum fucatum et mollem, alterum ad dicendi genus uerbis copiosum, sententiis inane; cf. ed. mai. || 2) ***fucatis et meretriciis uestibus:*** i. q *fucatis meretricum uestibus*, siquidem *ἀνθινὰ ἐσθήματα* a meretricibus gestabantur. || 3) ***oratores:*** in codicibus est *autores* aut *actores*; cf. ed. mai. || 4) ***histrionales modos*** (***Pantomimen-Lieder***): cogitat de monodiis pantomimorum, praecipue de amatoriis et mollibus. *Histrionalis* recurrit c. 29, Annal. I 16, aliunde haud nouimus. || 5) ***secuti coetus** laus **et exclamatio:*** in codicibus est *sicut his clam* (aut *cta*) *et exclamatio.* Rhenanus dedit *quibusdam exclamatio.* || 6) ***plus uis habeat quam sanguinis:*** nouum est poni genetiuum uocabuli *uis*; cf. ed. mai. Vim Cassii cogitat inconditam, eique opposuit *sanguinem* certo et legitimo cursu per uenas surgentem.

quibus utitur armis incompositus[7]) et studio feriendi
plerumque deiectus, non pugnat sed rixatur. Ceterum,
ut dixi, sequentibus comparatus et uarietate eruditionis
et lepore urbanitatis et ipsarum uirium robore multum
ceteros superat, quorum neminem Aper nominare et
uelut in aciem educere sustinuit. Ego autem expecta-
bam, ut incusato Asinio et Caelio et Caluo aliud nobis
agmen produceret, plurisque uel certe totidem nomina-
ret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis
deinde singulos opponeremus. Nunc detrectasse nomi-
natim antiquos oratores contentus neminem sequentium
laudare ausus est nisi in publicum et in commune, ue-
ritus credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset.
Quotus enim quisque scholasticorum non hac sua per-
suasione fruitur, ut se ante Ciceronem[8]) numeret, sed
plane post Gabinianum? At ego non uerebor nominare 27
singulos, quo facilius propositis exemplis appareat, qui-
bus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia.

7) *ipsis etiam quibus utitur armis incompositus* (*selbst mit den Waffen die er verwendet nicht in der gehörigen Stellung*): incompositus malo statu positus est; hanc notionem respiciens statim *deiectus* absolute adiungere potuit. || 8) *ut se ante Ciceronem numeret, sed plane* (*ganz und gar*) *post Gabinianum*; adeo noui non intellegunt uirtutes ueterum oratorum, ut ipsi optimum ex antiquis superare sibi uideantur, sed Gabiniano, nouum morem sectanti, plane concedant. De Gabiniano Hieronymus in Chron. Euseb. (ad a. 78 a Chr.): *Gabinianus celeberrimi nominis rhetor in Gallia docuit.*

Cap. 27—32. Messalam deflectentem a uia admonet Maternus, ut causas cur eloquentia in tantum ab antiqua uirtute recesserit, exponat. Iam Messala demonstrat tam eloquentiam quam ceteras artes a uetere gloria desciuisse desidia iuuentutis, neglegentia parentum, in-

Appropera tu[1], inquit Maternus, et potius exsolue promissum. Neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me quidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paulo ante *aiebas*[2], plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum *minime* iratus[3], antequam te Aper offenderet maiores tuos lacessendo.

Non sum, inquit, offensus Apri nostri disputatione; nam et uos *non*[4] offendi decebit, si quid forte aures uestras perstringat, cum sciatis hanc esse eiusmodi sermonum legem, iudicium animi citra[5] damnum adfectus proferre.

Perge, inquit Maternus, et cum de antiquis loquaris, utere antiqua libertate, a qua uel magis degenerauimus quam ab eloquentia.

scientia praecipientium, obliuione moris antiqui. Nunc rhetores in scholis eloquentiam male tradunt, fictis controuersiis linguam modo et uocem exercentes. Antiqui oratores infinito labore et quotidiana meditatione et plurimis artibus consecuti sunt, ut de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere possent. ‖

1) *appropera tu:* in codicibus scribitur *Appara te*, quo modo nemo alius Latine locutus est, neque tum conuenit *et potius;* Puteolanus *appropera* pronomine omisso dedit. ‖ 2) *paulo ante aiebas:* uerbum in libris manu scriptis deest; Lipsius suppleuit *dixisti* et approbauit plerisque editoribus; in maiore editione temptabam *memorabas:* nunc lenior, ut uidetur, medicina ab Halmio parta est. ‖ 3) *minime iratus:* codices habent *miratus iratus;* hinc Schelius fecit *non iratus*, Doederlinius *minus iratus*, quod ad uestigia litterarum in libris tradita proxime accedit, sed uerbis *plane mitior* Messalaeque moribus non satis uidetur conuenire. Conf. c. 7: *in ciuitate minime fauorabili.* ‖ 4) non *offendi: non* a libris abest; cf. ed. mai. ‖ 5) *citra damnum adfectus* (*ohne Nachtheil für die Zuneigung*)*: citra* pro *sine* hic et 41 e poetarum penu depromptum. A Cicerone alienum est hoc dicendi genus.

Tum Messala, Non reconditas, Materne, causas re- 28
quiris, nec aut tibi ipsi aut huic Secundo uel huic Apro gnotas, etiamsi mihi partes adsignatis proferendi in nedium quae omnes sentimus. Quis enim ignorat et loquentiam et ceteras artes desciuisse ab illa uetere gloria non inopia hominum, sed desidia iuuentutis et ieglegentia parentum et inscientia praecipientium et ob- iuione moris antiqui? Quae mala primum in urbe nata, iox per Italiam fusa, iam in prouincias manant. Quam- uam uestra uobis [1]) notiora sunt: ego de urbe et his ropriis ac uernaculis uitiis loquar, quae natos statim xcipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur, si rius de seueritate ac disciplina maiorum circa educan- os formandosque liberos pauca praedixero. Iam pri- ium suus cuique filius, ex casta parente natus, non in ella emptae nutricis sed gremio ac sinu matris educa- atur, cuius praecipua laus erat tueri domum et in- eruire liberis. Eligebatur autem maior aliqua natu ropinqua, cuius probatis spectatisque [2]) moribus omnis iusdem familiae suboles committeretur; coram qua eque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere uod inhonestum factu uideretur. Ac non studia modo urasque, sed remissiones etiam lususque puerorum nctitate quadam ac uerecundia temperabat. Sic Cor- eliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam ugusti matrem praefuisse educationibus [3]) ac produxisse

1) *quamquam uestra uobis notiora sunt:* de prouinciarum tiis uos plura comperistis quam ego, quod dicit respiciens in llia natos Aprum, Secundum, Maternum; cf. ad c. 10 not. || *probatis spectatisque:* probatis (*erprobt*) iudicio eorum qui am adhibent, spectatis (*bewährt*) usu eorundem. || 3) *educa-*

principes liberos accepimus. Quae disciplina ac seueritas eo pertinebat, ut sincera et integra[4] et nullis prauitatibus[5] detorta unius cuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas, et siue ad rem militarem siue ad iuris scientiam siue ad eloquentiae studium inclinas-
29 set, id solum ageret, id uniuersum hauriret. At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus seruis, plerumque uilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis et erroribus[1] teneri statim et rudes animi imbuuntur; nec quisquam in tota domo pensi habet quid coram infante domino aut dicat aut faciat. Quin etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiae paruulos adsuefaciunt, sed lasciuiae et dicacitati, per quae paulatim impudentia inrepit et sui alienique contemptus. Iam uero propria et peculiaria huius urbis uitia paene in utero matris concipi mihi uidentur, histrionalis fauor[2] et gladiatorum equorumque studia[3]; quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? Quotum quemque inuenies qui domi quicquam

tionibus: noue pro uetere *educationi* uel *educandi curae.* Mox *produxisse* exquisitius est quam *educasse*, quod uitauit uel propter uicinum nomen *educationibus.* Conf. Annal. I 4: *prima ab infantia eductum in domo regnatrice.* || 4) *sincera et integra* (*lauter und unverdorben*): sincera natura rebus alienis non infecta est, *integram* corruptor non tetigit. || 5) *nullis prauitatibus:* noue pro *nullo prauitatis genere.*

1) *fabulis et erroribus* (*Geschwätz und Verirrungen*): ut fabulae ad uerba, sic errores ad facta pertinent. Inde statim sequitur: *quid-aut dicat aut faciat.* || 2) *histrionalis fauor* (*Zuneigung für Schauspieler*): idem in Annalibus (I 16) *histrionale studium* dicitur. || 3) *gladiatorum equorumque studia* (*Vorliebe für Gladiatoren und Pferde*): studia in arena aut in circo spec-

aliud loquatur? Quos alios adulescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intrauimus? Ne praeceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis abulas habent: colligunt enim discipulos non seueritate lisciplinae nec ingenii experimento, sed ambitione [4]) salutationum et inlecebris adulationis. Transeo prima liscentium elementa, in quibus et ipsis parum laboraur [5]), nec in auctoribus cognoscendis [6]) nec in euoluenda antiquitate [7]) nec in notitia uel rerum uel hominum uel temporum satis operae insumitur. Sed expetun- 30
ur quos rhetoras uocant; quorum professio quando primum in hanc urbem introducta sit quamque nullam apud maiores nostros auctoritatem habuerit, statim dicturus, referam [1]) necesse est animum ad eam disciplinam, qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus abor et quotidiana meditatio et in omni genere studiorum assiduae exercitationes ipsorum etiam continentur ibris. Notus est uobis utique Ciceronis liber qui Brutus nscribitur, in cuius extrema parte [2]) (nam prior commemorationem ueterum oratorum habet) sua initia, suos gradus, suae eloquentiae uelut quandam educationem efert: se apud Q. Mucium ius ciuile didicisse, apud

antium. || 4) *ambitione salutationum* (*durch das Ausgehen auf egrüssungen*): dum ambiunt diuites domos et parentes discipulo-um mane salutant. || 5) *parum laboratur:* h. e. parum laboris nsumitur; cf. ed. mai. || 6) *in auctoribus cognoscendis:* dicit uctores librorum qui leguntur a discipulis. || 7) *in euoluenda ntiquitate* (*in Erforschung der Urzeit*): τὰ μυθικὰ his notantur, c statim opponitur *notitia uel rerum* (gestarum) *uel hominum el temporum.*

1) *referam:* fortasse fuit *nunc referam.* || 2) *in cuius extrema parte:* eam partem significauit quae continetur c. 89—92. ||

Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnes philosophiae partes penitus hausisse: neque iis doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium uarietatem complecteretur. Itaque Hercule in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius artis ingenuae scientiam ei defuisse. Ille dialecticae subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasque[3]) cognouerat. Ita est enim, optimi uiri, ita: ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat[4]) illa admirabilis eloquentia; neque oratoris uis et facultas, sicut ceterarum rerum, angustis et breuibus terminis cluditur, sed is est orator[5]), qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere pro dignitate rerum, ad utilitatem[6]) temporum, cum uoluptate audientium possit.
31 Hoc sibi illi ueteres persuaserant, ad hoc efficiendum

3) *rerum motus causasque: τὰ φυσικὰ* dicit, secutus diuisionem philosophiae in tres partes discretae, quam primus instituit Plato. Seneca Epist. 89: *philosophiae tres partes esse dixerunt et maximi et plurimi auctores, moralem, naturalem, rationalem. Prima componit animum, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates uerborum exigit et structuram et argumentationes, ne pro uero falsa subrepant.* || 4) *exundat et exuberat* (*strömt über und quillt aus*)*:* altera imago a fluuio ripas superante, altera ab ubere profluente ducta est. || 5) *is est orator—apte dicere:* Cicero de Orat. I 15: *quamobrem si quis uniuersam et propriam oratoris uim definire complectique uult, is orator erit mea sententia hoc tam graui dignus nomine, qui, quaecumque res inciderit quae sit dictione explicanda, prudenter et composite et ornate et memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate.* || 6) ad *utilitatem temporum*: quae dicit, haec singulis ciuibus et omni rei publicae utilia esse debent.

intellegebant opus esse, non ut in rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis nec ullo modo ad ueritatem accedentibus controuersiis linguam modo et uocem exercerent, sed ut iis artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto et turpi, de iusto et iniusto disputatur [1]. Haec enim est oratori subiecta ad dicendum materia. Nam in iudiciis fere de aequitate, in deliberationibus [2] de honestate disserimus, ita ut plerumque haec in uicem misceantur, de quibus copiose et uarie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognouit naturam humanam et uim uirtutum prauitatemque uitiorum et intellectum eorum quae nec in uirtutibus nec uitiis [3] numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram iudicis uel instiget uel leniat, qui scit quid ira, promptius ad miserationem impellat, qui scit quid sit misericordia et quibus animi motibus concitetur [4]. In his artibus exercitationibusque uersatus orator, siue apud infestos siue apud cupidos [5] siue apud inuidentes siue apud tristes siue apud timentes dicendum habuerit, tenebit [6] uenas animorum, et prout cuiusque natura

1) *iis artibus pectus implerent in quibus — disputatur:* Cicero in Oratore c. 33: *nec uero dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnes philosophiae notos et tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de more, nihil de pietate, nihil de caritate patriae, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de uirtutibus aut uitiis — sine ea scientia quam dixi grauiter, ample, copiose dici et explicari potest.* || 2) *in deliberationibus:* hae fiunt in contione coram populo aut in senatu. || 3) *quae nec in uirtutibus nec uitiis numerantur:* Diogenes Laert. VI §. 105: *τὰ δὲ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀδιάφορα λέγουσιν* (Cynici) *ὁμοίως Ἀρίστωνι τῷ Χίῳ.* || 4) *ut facilius iram iudicis — animi motibus concitetur:* cf. Ciceronis Orat. c. 4. || 5) *apud cupidos:* qui cupiunt oratori, h. e. beneuoli sunt. || 6) *tenebit uenas animorum:* Cicero de Orat. I 52: *teneat oportet uenas cuiusque generis,*

postulabit, adhibebit manum et temperabit orationem, parato omni instrumento et ad omnem usum reposito. Sunt apud quos astrictum et collectum [7] et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dedisse operam dialecticae proficiet. Alios fusa [8] et aequalis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat: ad hos permouendos mutuabimur a Peripateticis aptos et in omnem disputationem paratos iam locos [9]. Dabunt Academici pugnacitatem [10], Plato altitudinem, Xenophon iucunditatem: ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes adsumere, iisque prout res poscit uti alienum erit oratori. Neque enim sapientem informamus neque Stoicorum ciuitatem [11], sed eum qui quasdam artes haurire, omnes libare debet. Ideoque et iuris scientiam ueteres oratores comprehendebant, et grammaticae, musicae et geometriae *arte* imbuebantur [12]. Incidunt enim causae plurimae quidem

aetatis, ordinis, et eorum apud quos aliquid agit aut erit acturus, mentes sensusque degustet. || 7) *astrictum et collectum* (*straff und bündig*): metaphora respicit tunicam zona astrictam et togae sinus collectos. || 8) *fusa — oratio:* Cicero de Orat. II 15: *genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens.* || 9) *aptos — locos*: Cicero in Oratore c. 15: *facile igitur hic noster —, quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, utetur aptis.* || 10) *dabunt Academici pugnacitatem*: Cicero de Orat. I 18: *hic enim mos erat patrius Academiae, aduersari semper omnibus in disputando.* || 11) *neque enim sapientem informamus neque Stoicorum ciuitatem:* haec et proxima addit, quia paulo ante dixit oratorem quaedam a philosophis *mutuari* et *adsumere* debere. Monet igitur se alienum esse ab arrogantia Stoicorum, qui *sapientem* suum omnia scire uelint. Verba *neque Stoicorum ciuitatem* adiecit, ut patefieret qualis *sapiens* dictus sit. || 12) *geometriae* arte *imbuebantur* (*netzten ihre Lippen an der Wissenschaft der Geometrie*): h. e. nonnihil artis geometricae addiscebant; cf. ed. mai. Si quis dixerit supplementum illud

ac paene omnes quibus iuris notitia desideratur, pleraeque autem in quibus haec quoque scientia requiritur.
Nec quisquam respondeat sufficere ut ad tempus[1] sim- 32
plex quiddam et uniforme[2] doceamur. Primum enim aliter utimur propriis, aliter commodatis[3], longeque interesse manifestum est, possideat quis quae profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes[4] nos ornat, atque ubi minime credas, eminet et excellit[5]. Idque non doctus modo et prudens auditor sed etiam populus intellegit ac statim ita laude prosequitur, ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros isse, ut denique oratorem esse fateatur; quem non posse aliter existere nec extitisse umquam confirmo, nisi eum, qui tamquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. Quod adeo neglegitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum uis[6] quoque

(*arte*) abesse posse, ut uerbum *imbuebantur* cum datiuis iungatur, recogitet eius structurae certum exemplum non adesse et ablatiuum cum *imbuere* iunctum materiae et instrumenti uim tenere; cf. c. 34: *imbutus iam domestica disciplina*; ibid. *incorrupta eloquentia imbuebantur.* Adde c. 29.

1) *ad tempus:* h. e. *interim*, τέως uel εἰς τὸ παρόν, donec necessitas inciderit mutuandi aliquid ex ceteris artibus et doctrinis. Sic Ann. IIII 19: *dilato ad tempus Sabino.* || 2) *simplex quiddam et uniforme:* artem dicendi a cetera scientia seiunctam. *Simplici* contrarium est multiplex, *uniformi* uarium. Vocabulum *uniformis* a Graecis (μονοειδής) uidetur sumpsisse. Neque apud priores neque apud aequales Taciti reperitur. || 3) *propriis — commodatis: propria* sunt quae ipsi didicimus, *commodata* quae percontando ab aliis accepimus. || 4) *aliud agentes:* cum aliud agimus atque id quod ex ipsis artibus hausimus. || 5) *eminet et excellit*: *ragt hervor und springt in die Augen.* || 6) *uis quoque quotidiani sermonis*: *auch der Einfluss der alltäglichen Rede.* cf.

quotidiani sermonis, foeda ac pudenda uitia deprehendantur; ut ignorent leges nec teneant senatus consulta, ius ciuitatis [7]) ultro derideant, sapientiae uero studium et praecepta prudentium penitus reformident, in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam uelut expulsam regno suo, ut quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata [8]), sine apparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discatur. Ergo hanc primam et praecipuam causam arbitror, cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Graecos Demosthenem, quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriae proditum est? Et Cicero his, ut opinor, uerbis [9]) refert, quicquid in eloquentia effecerit, id se non rhetorum sed Academiae spatiis consecutum. Sunt aliae causae, magnae et graues, quas a uobis aperiri aequum est, quoniam quidem ego iam meum munus expleui, et quod mihi in consuetudine est, satis multos offendi, quos, si forte haec audiuerint, certum habeo dicturos me, dum iuris et philosophiae scientiam tamquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.

33 Et Maternus, Mihi quidem, inquit, susceptum a te

de. mai. || 7) *ius ciuitatis:* noue pro eo quod est *ius ciuile.* Mox *praecepta prudentium* dicuntur *praecepta iuris prudentium.* || 8) *circumcisa et amputata* (*gestutzt und beschnitten*): prius a pennis auium decisis, alterum a castigata fronde arborum translatum est. || 9) *his — uerbis refert:* in Oratore c. 3: *fateor me oratorem — non ex rhetorum officinis sed ex Academiae spatiis extitisse*, quae uerba aut nimis in breue Tacitus contraxit, aut post *rhetorum* excidit *officinis*, ut coniecit Haasius.

munus adeo peregisse nondum uideris, ut inchoasse tantum et uelut uestigia ac lineamenta [1]) quaedam ostendisse uidearis. Nam quibus instrui ueteres oratores soliti sint dixisti, differentiamque nostrae desidiae et inscientiae aduersus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti: cetera expecto, ut quemadmodum ex te didici, quid aut illi scirent aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus iuuenes iam et forum ingressuri confirmare et alere ingenia sua soliti sint. Neque enim *tant*um [2]) arte et scientia sed longe magis facultate et usu eloquentiam contineri, nec tu puto abnues, et hi significare uultu uidentur.

Deinde cum Aper quoque et Secundus idem adnuissent, Messala quasi rursus incipiens: Quoniam initia et semina ueteris eloquentiae satis demonstrasse uideor, docendo quibus artibus antiqui oratores institui erudirique soliti sint, persequar nunc exercitationes eorum. Quamquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas aut tam uarias res potest, nisi ut scientiae meditatio, meditationi facultas, facultati uis eloquentiae [3]) accedat. Per quae colligitur eandem esse rationem et percipiendi quae proferas, et proferendi

Cap. 33—35. Hortante Materno rursus incipit Messala et exercitationes ueterum oratorum declamationibus nouorum longe praestitisse demonstrat. || 1) *uestigia quaedam et lineamenta* (*ein Paar Fusspuren und Gesichtszüge*): *uestigia* proprie pedibus exprimuntur, *lineamenta* ad os siue uultum pertinent. || 2) tant*um:* codices offerunt *dum*; cf. ed. mai. || 3) *uis eloquentiae* (*die Macht des beredten Ausdrucks*): olim suspicatus sum ab ipsius auctoris manu uenisse *uis eloquendi.* Hac coniectura possumus carere, si *eloquentiae* nomen ampliore illo significatu positum esse intellexerimus.

quae perceperis. Sed si cui obscuriora haec uidentur isque scientiam ab exercitatione separat, illud certe concedet, instructum et plenum his artibus animum longe paratiorem ad eas exercitationes uenturum quae propriae
34 oratorum uidentur. Ergo apud maiores nostros iuuenis ille qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis deducebatur[1] a patre uel a propinquis ad eum oratorem, qui principem in ciuitate locum obtinebat. Hunc sectari[2], hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse siue in iudiciis siue in contionibus adsuescebat, ita ut altercationes quoque exciperet et iurgiis interesset, utque[3] sic dixerim, pugnare in proelio disceret. Magnus ex hoc usus multumque constantiae, plurimum iudicii iuuenibus statim contingebat, in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus et iudex respuat et aduersarius exprobret, ipsi denique aduocati aspernentur. Igitur uera statim et incorrupta eloquentia imbuebantur; et quamquam unum sequerentur, tamen omnes eiusdem aetatis patronos in plurimis et causis et iudiciis cognoscebant; habebantque ipsius populi diuersissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehenderent quid in quoque uel probaretur uel displiceret. Ita nec praeceptor deerat, optimus quidem et electissimus, qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret; nec ad-

1) *deducebatur — obtinebat:* boni moris mentionem facit Cicero in Laelio 1, Bruto 89, pro Cael. 4, Horatius Epist. II 1 106. || 2) *hunc sectari, hunc prosequi* (*ihn zu umgeben, ihm zu folgen*): *sectari* domo exeuntem, *prosequi* tendentem in forum. || 3) *utque sic dixerim, pugnare:* idem quod *atque, ut sic dixerim,*

uersarii et aemuli ferro, non rudibus dimicantes; sed auditorium[4]) semper plenum, semper nouum, ex inuidis et fauentibus, ut nec bene dicta dissimularentur[5]). Scitis enim magnam illam et duraturam eloquentiae famam non minus in diuersis subselliis parari quam suis; inde quin immo constantius surgere, ibi fidelius corroborari. Atque Hercule sub eiusmodi praeceptoribus iuuenis ille de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus et adsuefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notae leges, non noui iudicum uultus, frequens in oculis consuetudo contionum, saepe cognitae populi aures, siue accusationem susceperat siue defensionem, solus statim et unus cuicumque causae par erat. Nonodecimo[6]) aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, unoetuicesimo Caesar Dolabellam, altero et uicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multum aetate antecedens Caluus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodie quoque cum admiratione legimus.
At nunc adulescentuli nostri deducuntur[1]) in scenam 35

pugnare; cf. ed. mai. || 4) *sed auditorium*: pergere poterat in coepta structura *nec auditorium* (*deerat*), uerum amans uicissitudinis subsequi fecit *sed auditorium*, quo paulo fortius fuisset *iam uero auditorium*. Illud *nec auditorium* etiam ob hanc causam uidetur uitasse, quod mox secuturum erat *ut nec bene* cet. || 5) *ut nec bene dicta dissimularentur* (*so dass auch Gelungenes nicht unbemerkt blieb*): respicit his uerbis paulo ante scripta de male dictis non dissimulatis: *ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus et iudex respuat* cet. Illud tamen cum explicatione indigeret, quomodo etiam ab *inuidis* bene dicta proderentur, hanc uerba *scitis enim — corroborari* praebent. || 6) *nonodecimo aetatis anno*: cf. ed. mai.

1) *deducuntur in scenam scholasticorum* (*werden hingeleitet auf die Bühne der Schulmänner*): in locum ueteris *deductionis*

scholasticorum, qui rhetores uocantur, quos paulo ante Ciceronis tempora extitisse nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, quod Crasso et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero [2], ludum impudentiae iussi sunt. Sed ut dicere institueram, deducuntur in scholas, in quibus non facile dixerim utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis adferant. Nam in loco nihil reuerentiae, sed [3] in quem nemo nisi aeque imperitus intrat: in condiscipulis nihil profectus, cum pueri inter pueros et adulescentuli inter adulescentulos pari securitate et dicant et audiantur. Ipsae uero exercitationes magna ex parte contrariae. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetoras tractantur, suasoriae et controuersiae. Ex his suasoriae quidem, tamquam plane leuiores et minus prudentiae exigentes pueris delegantur, controuersiae robustioribus adsignantur, quales, per fidem, et quam incredibiliter compositae! Sequitur autem ut materiae abhorrenti a ueritate declamatio quoque adhibeatur [4]. Sic fit ut tyrannicidarum [5] praemia aut uitiatarum [6] electiones

iam noua et minus bona successit. *Scena* memoratur, quod in fictis causis et rebus iuuenes uersantur. *Scholastici* noue ac non sine quodam contemptu dicuntur tam hic quam c. 26 et 42. || 2) *ut ait Cicero*: de Orat. III 24 haec dicentem L. Crassum facit Cicero: *nouos magistros nihil intellegebam posse docere nisi ut auderent. — Hoc cum unum traderetur et cum inpudentiae ludus esset, putaui esse censoris, ne longius id serperet, prouidere.* || 3) *sed in quem — intrat:* breuitati studet et haec contraxit: *sed est eiusmodi in quem nemo nisi aeque imperitus intret.* || 4) *adhibeatur:* h. e. *adaptetur.* || 5) *tyrannicidarum praemia:* Petronius c. 1: *declamatores — clamant: 'Haec uulnera pro libertate publica excepi, hunc oculum pro uobis impendi; date mihi ducem qui me ducat ad liberos meos: nam succisi poplites membra non sustinent.'* || 6) *uitiatarum electiones:* Quintiliani Declam. 309:

aut pestilentiae remedia [7]) aut incesta matrum, aut quicquid in schola quotidie agitur, in foro uel raro uel numquam [8]), ingentibus uerbis persequantur; cum ad ueros iudices uentum

* *
*

rem cogitant [9]), nihil humile uel abiectum eloqui poterat. Magna eloquentia, sicut flamma, materia alitur et 36 motibus excitatur et urendo clarescit. Eadem ratio in nostra quoque ciuitate antiquorum eloquentiam prouexit [1]). Nam etsi horum quoque temporum oratores ea [2]) consecuti sunt, quae composita et quieta et beata re publica tribui fas erat, tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi adsequi uidebantur [3]), cum mixtis omnibus et mo-

stupratae datur optio eligendi mortem raptoris aut nuptias. || 7) *pestilentiae remedia:* Petronius l. c.: *responsa in pestilentia data ut uirgines tres aut plures immolentur.* || 8) Quintilianus II 10 5: *nam magos et pestilentiam et responsa et saeuiores tragicis nouercas — frustra inter sponsiones et interdicta quaeremus.* || 9) *rem cogitant* habet codex Leidensis, ceteri *rem cogitare*: fortasse fuit *recogitant*, sed temptare aliquid in loco truncato lubricum est. Intercidit finis orationis a Messala habitae, simul initium sermonis Materni; cf. ed. mai.

Cap. 36—41. Maternus consentit Messalae de ueteris eloquentiae gloria et flore, sed diuersas eius rei causas affert. Ipso iudice oratorum ueterum prae nouis praestantia ex turbida ueteris rei publicae conditione prouenit. Nimirum insignis eloquentia est alumna licentiae, ideoque apud antiquos, cum licenter ageretur, uiguit, nunc, cum amota licentia modeste uiuatur, fracta est. || 1) *prouexit* (*hat emporgehoben*): in altum sustulit tamquam flammam insurgentem. || 2) *ea consecuti sunt* (*ein solches Ziel erreicht haben*): ea dicit quae nunc eloquentiae ope perficiunt, ut innoxios defendant, nocentes in iudicium adducant, suum cuique uindicent. || 3) *plura sibi adsequi uidebantur:* cum agerent fer-

deratore uno carentibus[4]) tantum quisque orator saperet quantum erranti populo persuaderi poterat. Hinc leges assiduae et populare[5]) nomen, hinc contiones magistratuum paene pernoctantium in rostris, hinc accusationes potentium reorum et adsignatae etiam domibus[6]) inimicitiae, hinc procerum factiones et assidua senatus aduersus plebem certamina. Quae singula etsi distrahebant rem publicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis cumulare ·praemiis uidebantur, quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores adsequebatur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, tanto plus apud principes[7]) gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus notitiae ac nominis apud plebem parabat. Hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant; hos ituri in prouincias magistratus reuerebantur, hos reuersi colebant; hos et praeturae et consulatus uocare ultro[8]) uidebantur; hi ne priuati quidem sine potestate erant, cum et populum et senatum consilio et auctoritate regerent. Quin immo sibi persuaserant neminem sine eloquentia aut adsequi posse in ciuitate aut tueri conspicuum et eminentem locum. Nec mirum, cum etiam inuiti ad populum producerentur; cum

rentque cuncta, magna potentia gaudebant, sed cum ipsi obnoxii essent erranti populo, specie magis potentiae quam ipsa fruebantur; hinc illud *uidebantur*, ut paulo post *magnis cumulare praemiis uidebantur.* || 4) *mixtis omnibus et moderatore uno carentibus* (*wo Alles in Verwirrung aufging und eines einigen Lenkers ermangelte*): Maternus poeta popularem potentiam improbat et auersatur ad exemplum Homeri (Il. B 204) profitendo *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.* || 5) *populare:* celebre apud populum. || 6) *domibus:* gentibus aut familiis. || 7) *principes:* hoc a poetis sumptum pro eo quod est *principes ciuitatis*; cf. Horatii Carm. II 1 4: *grauesque principum amicitias.* || 8) *ultro:*

parum esset in senatu breuiter censere, nisi qui ingenio
et eloquentia[9] sententiam suam tuerentur; cum in ali-
quam inuidiam aut crimen uocati sua uoce respondendum
haberent; cum testimonia quoque in iudiciis[10] non absen-
tes nec per tabellam dare, sed coram et praesentes dicere
cogerentur. Ita ad summa eloquentiae praemia magna
etiam necessitas accedebat; et quomodo disertum haberi
pulchrum et gloriosum, sic contra mutum et elinguem
uideri deforme habebatur. Ergo non minus rubore[1] 37
quam praemiis stimulabantur, ne clientulorum[2] loco
potius quam patronorum numerarentur, ne traditae a
maioribus necessitudines ad alios transirent, ne tamquam
inertes et non suffecturi[3] honoribus aut non impetra-
rent aut impetratos male tuerentur. Nescio an uenerint
in manus uestras haec uetera, quae et in antiquariorum
bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano[4]
contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris
et tribus Epistularum composita et edita sunt. Ex his
intellegi potest Cn. Pompeium et M. Crassum non uiribus
modo et armis sed ingenio quoque et oratione ualuisse;

sine ipsorum studio et labore. || 9) *ingenio et eloquentia*: ingenium apta reperit, eloquentia uerbis commendat. || 10) *in iudiciis:* ordine singulas dicendi occasiones percurrit, initium faciens a contione populi in foro Romano (*cum etiam inuiti ad populum producerentur*); tum pergit ad curiam siue consilium senatus (*cum parum esset in senatu breuiter censere*); postremo peruenit ad *iudicia*; cf. ed. mai.

1) *rubore:* uox Tacito familiaris pro *pudore.* || 2) *clientulorum:* est *ἅπαξ λεγόμενον* et proles aetatis ad deminutiua inclinantis; cf. c. 29: *Graeculae alicui ancillae,* ubi non tam forma noua est quam iunctura *Graeculae ancillae.* || 3) *inertes et non suffecturi honoribus* (*feige und unfähig für Ehrenämter*)*:* inertibus animus deest, non suffecturis ingenium. || 4) *a Muciano:* est *M. Licinius*

Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum. His accedebat splendor reorum et magnitudo causarum, quae et ipsa plurimum eloquentiae praestant. Nam multum interest, utrumne de furto [5] aut formula et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis sociis et ciuibus trucidatis. Quae mala sicut non accidere melius est, isque optimus ciuitatis status habendus est, in quo nihil tale patimur, ita cum acciderent, ingentem eloquentiae materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum uis ingenii, nec quisquam claram et inlustrem orationem efficere potest nisi qui causam parem inuenit. Non, opinor, Demosthenem orationes inlustrant quas aduersus tutores suos composuit; nec Ciceronem magnum oratorem P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt [6]. Non quia tanti fuit rei publicae malos ferre ciues, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed, ut subinde admoneo, quaestionis meminerimus, sciamusque nos [7]

Mucianus, clarus ille Vespasiani amicus, qui parta pace otium et ingenium litteris dicauit. Vt uir admodum notus uno nomine uocatur. De *Actorum* et *Epistularum* libris dictum est in ed. mai. || 5) *de furto aut formula et interdicto* (=*interdicti formula*): componit rem furto ablatam et turbatam possessionem, cui restituendae interdictum a praetore interponitur. His priuatis causis mox adiungit publicas, ex quibus significauit *ambitus* et *repetundarum* quaestionem atque *perduellionis* iudicium. || 6) *hanc illi famam circumdederunt* (*haben ihn mit diesem Ruhme gekrönt*): cf. Agr. c. 20: *egregiam famam paci circumdedit.* || 7) *sciamusque nos: nos* abest a libro Leidensi; sic aderit nominatiuus cum

de ea re loqui, quae facilius turbidis et inquietis temporibus extitit. Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace quam bello uexari? plures tamen bonos proeliatores bella quam pax ferunt. Similis eloquentiae conditio. Nam quo saepius steterit tamquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quoque maior [8] aduersarius *est* et acrior, *quem* qui pugna*t* sibi ipse desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitatus discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est, ut * * * secura uelint. Transeo ad formam et consue- 38
tudinem ueterum iudiciorum, quae etsi nunc aptior est ueritati [1]), eloquentiam tamen illud forum magis exercebat, in quo nemo intra paucissimas horas [2]) perorare cogebatur, et liberae comperendinationes erant, et modum dicendi sibi quisque sumebat, et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. Primus haec tertio consulatu Cn. Pompeius astrinxit, imposuitque ueluti frenos eloquentiae, ita tamen ut omnia in foro [3]), omnia legibus, omnia apud praetores [4]) gererentur; apud quos

infinitiuo. || 8) *quoque maior aduersarius* est *et acrior*, quem *qui pugna*t *sibi ipse desumpserit:* in his uerbis proxime accessi ad reliquias libri Leidensis, qui tamen omittit *est* et *quem*, tum *pugnas* habet pro *pugnat*. Alii haec dederunt: *quo maior aduersarius et acriores pugnas sibi ipsa des.*, alii *quo maiores aduersarios et acriores pugnas sibi ipsa des.* || 9) *nobilitatus:* plerique editores auctore Lipsio mutarunt *nobilitata*. || 10) *natura est * * * ut secura uelint:* excidit, ut uidetur, integer uersus sic fere complendus: *ut alios periclitari, alios periculis iactari, sibi ut secura uelint.*

1) *ueritati:* breuiter noueque pro *explorando uero*. || 2) *intra paucissimas horas*: respicit sui temporis consuetudinem, qua ex praescripto legis Pompeiae a. 702 latae accusator duabus horis, reus tribus perorare cogebatur. || 3) *in foro:* in foro et sub diuo, non in auditoriis et tabulariis (c. 39). || 4) *omnia apud*

quanto maiora negotia olim exerceri solita sint, quod maius argumentum est quam quod causae centumuirales[5]), quae nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum iudiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis neque Caesaris neque Bruti neque Caelii neque Calui, non denique ullius magni oratoris liber apud centumuiros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii quae pro heredibus Vrbiniae[6]) inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis diui Augusti temporibus habitae, postquam longa temporum quies et continuum populi otium et assidua senatus tranquillitas et maximi[7]) principis disciplina ipsam
39 quoque eloquentiam sicut omnia pacauerat. Paruum et ridiculum fortasse uidebitur quod dicturus sum: dicam tamen, uel ideo ut ridear. Quantum humilitatis putamus eloquentiae attulisse paenulas istas, quibus astricti et uelut inclusi[1]) cum iudicibus fabulamur[2])? Quantum uirium detraxisse orationi auditoria et tabularia[3]) cre-

praetores: dicit capitalium causarum praesides et ex aduerso cogitat de sui temporis quaestionibus coram patribus et in curia habendis; cf Annal. III 12, IIII 6. || 5) *causae centumuirales:* cf. ad c. 7 not. || 6) *pro heredibus Vrbiniae*: Asinius Vrbiniae heredes aduersus petitorem Clusinium Figulum, qui se filium esse Vrbiniae aiebat, tuebatur. Haec causa centumuiralis, ut ceterae omnes quae ad nostram notitiam uenerunt, hereditaria erat: nimirum in hereditatis controuersiis saepe accidit, ut de iure magis quam de facto quaereretur. || 7) *maximi principis:* maximum cogita potentia et auctoritate. Conf. Horatii Carm. IIII 14 6: *maxime principum.* In codice Leidensi est *maxima.*

1) *astricti et uelut inclusi* (*verstrickt und wie eingeschlossen*): ne praue acciperentur uerba *quibus astricti* de paenulis ipsorum oratorum, caute addidit *et uelut inclusi*: loquitur enim de paenulis quas gerunt multi in corona assistentes, cum ad antiqua iudicia nemo nisi togatus accessisset; cf. ed. mai. || 2) *fabulamur* (*schwatzen*): non tam oratio est nostrorum oratorum quam confabulatio, dicit. || 3) *tabularia* (*Bretterbuden*): tabulae in tempus

dimus, in quibus iam fere plurimae causae explicantur? Nam quomodo nobiles equos cursus et spatia [4]) probant, sic est aliquis oratorum campus, per quem nisi liberi et soluti [5]) ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipsam quin immo curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur, quia saepe interrogat iudex quando incipias [6]), et ex interrogatione eius incipiendum est; frequenter probationibus et testibus silentium, *ut liberto* patronus [7]), indicit. Vnus inter haec dicenti aut alter adsistit, et res uelut in solitudine agitur. Oratori autem clamore plausuque opus est et uelut quodam theatro; qualia quotidie antiquis oratoribus contingebant, cum tot pariter ac tam nobiles forum coartarent, cum clientelae quoque ac tribus ac municipiorum etiam legationes ac pars Italiae periclitantibus adsisteret, cum in plerisque iudiciis crederet populus Romanus sua interesse quid iudicaretur. Satis constat C. Cornelium et M. Scaurum et T. Milonem et L. Bestiam et P. Vatinium concursu totius ciuitatis et accusatos et defensos, ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint. Itaque Hercule

iunctae, ut ligneum aedificium solem et imbrem auertat. Haec nominis significatio noua est: nam ueteres tabularium dicunt quod tabulis asseruandis seruit (*Archiv*). || 4) *cursus et spatia:* cursus per spatia continuati. || 5) *liberi et soluti: liberi* non sunt inclusi, *soluti* non astricti. || 6) *quando incipias:* prooemium orationis diligenti stilo compositum adeo aspernatur iudex, ut oratorem, dum in eo uersatur, ne incepisse quidem significet. || 7) ut liberto *patronus:* qui silentium indicit *iudex* est, non *patronus:* sed nomen *patronus* cum per se suspitioni minus obnoxium sit, ante aliquid uidetur intercidisse, quo restituto sana sententia emergat. In mai. editione temptaui *impatiens* pro *patronus*, dein Weissenbornius *importunus*.

eiusmodi libri extant, ut ipsi quoque qui egerunt non
40 aliis magis orationibus censeantur. Iam uero contiones assiduae et datum ius potentissimum quemque uexandi atque ipsa inimicitiarum gloria, cum se plurimi disertorum ne a P. quidem Scipione aut *L.* Sulla [1]) aut Cn. Pompeio abstinerent, et ad incessendos principes uiros, ut est natura inuidiae, populi quoque *fauore* [2]) et his *pronis* auribus uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admouebant! Non de otiosa et quieta re loquimur [3]), et quae probitate et modestia gaudeat: sed est magna illa et notabilis eloquentia alumna licentiae, quam stulti libertatem uocabant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine seruitute [4]), contumax, temeraria, adrogans, quae in bene constitutis ciuitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedaemonium, quem Cretensem accepimus? Quarum ciuitatum seuerissima disciplina et seuerissimae leges [5]) traduntur. Ne Macedonum quidem ac Persarum aut

1) L. *Sulla:* cf. ed. mai. || 2) *populi quoque* fauore *et his* pronis *auribus uterentur* (*auch des Volkes Gunst und diese so geneigten Ohren fanden*): post *quoque* aliquam uocem abesse certo argumento docet proxima particula (*et*). Tum uerba *his pronis*, quae dedi pro corrupto *histriones*, promptas inuidentis uulgi aures tamquam ubique obuias demonstrant. Conf. Agr. 43: *hic aliud agens populus.* Horat. Serm. I 1 29: *perfidus hic caupo.* In maiore editione uolui *populi quoque et ceterorum pronis auribus*, quod nunc remoui. || 3) *non de otiosa et quieta re loquimur:* res de qua loquimur (magna eloquentia) non otii est quietisue.|| 4) *sine obsequio, sine seruitute* (*ohne Folgsamkeit, ohne Unterwürfigkeit*): quae neque obsequi suadentibus neque seruire potest imperantibus. || 5) *seuerissima disciplina et seuerissimae leges:* non sine pondere a declamante poeta idem nomen adiectiuum mutata forma repetitur; cf. 41: *minimum usus minimumque profectus;* ibidem: *quoniam nemo eodem tempore adsequi potest ma-*

ullius gentis, quae certo imperio contenta fuerit, eloquentiam nouimus. Rhodii quidam, plurimi Athenienses oratores extiterunt, apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant. Nostra quoque ciuitas, donec errauit, donec se partibus et dissensionibus et discordiis [6] confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in iudiciis moderatio, nulla superiorum reuerentia, nullus magistratuum modus [7], tulit sine dubio ualentiorem eloquentiam, sicut indomitus ager habet quasdam herbas laetiores. Sed nec tanti rei publicae Gracchorum eloquentia fuit ut pateretur et leges, nec bene famam eloquentiae Cicero tali exitu pensauit. Sic quoque [1] quod superest 41
antiqui oratoribus, forum [2], non emendatae nec usque ad uotum compositae ciuitatis argumentum est. Quis enim nos aduocat nisi aut nocens aut miser? Quod municipium in clientelam nostram uenit nisi quod aut uicinus populus aut domestica discordia agitat? Quam prouinciam tuemur nisi spoliatam uexatamque? Atqui melius fuisset non queri quam uindicari. Quod si inueniretur [3] aliqua ciuitas in qua nemo peccaret, super-

gnam famam et magnam quietem. || 6) *dissensionibus et discordiis:* Agr. 32: *nostris — dissensionibus ac discordiis. Dissensiones* sunt diuersa sentientium, *discordiae* infesto animo sese petentium. || 7) *nullus magistratuum modus:* hoc ex παραλλήλου eius enuntiati quod antecedit, *nulla superiorum reuerentia.* Nam ut inferioribus deerat reuerentia superiorum, ita ipsi superiores (*magistratus*) sine modo agebant.

1) *sic quoque:* sic quoque ut nunc res se habet. || 2) *forum:* dicit causas forenses et priuatas etiam tum in foro iudicari solitas. || 3) *quod si inueniretur:* iam suo munere, h. e. poetae officio, apertius fungitur, qui misso uerae uitae statu et usu,

uacuus[4]) esset inter innocentes orator sicut inter sanos medicus. Quommodo deinde [5]) minimum usus minimumque profectus ars medentis habet in iis gentibus, quae firmissima ualitudine ac saluberrimis corporibus utuntur, sic minor oratorum obscuriorque gloria est inter bonos mores et in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in senatu sententiis, cum optimi cito consentiant? Quid multis apud populum contionibus, cum de re publica non imperiti et multi deliberent, sed sapientissimus[6]) et unus? Quid uoluntariis accusationibus, cum tam raro et tam parce peccetur? Quid inuidiosis [7]) et excedentibus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obuiam periclitantibus eat? Credite, optimi et in quantum opus est disertissimi uiri, si aut uos prioribus seculis aut illi[8]) quos miramur his nati essent, ac deus aliquis uitas ac uestra tempora repente mutasset, nec uobis summa illa laus et gloria in eloquentia neque illis modus et temperamentum defuis-

animo suo ad altiora ascendit et eiusmodi mortales cogitatione complectitur, qui sine iudiciis et accusatoribus agere possunt. Hanc felicis aetatis imaginem paulo post (*quid enim opus* cet.) ad rem Romanam sic accommodauit, ut senatum optimum et principem sapientissimum et clementissimum animo comprehenderet. Conf. ed. mai. || 4) *superuacuus:* Cicero et aequales pedestris sermonis auctores scribunt *superuacaneus:* illud a poetis sumptum est. || 5) *quomodo deinde* (*wie ferner, ὡς δ'ἔπειτα*): ad minus pergit. Nam ante dixit de ciuitate in qua nemo peccaret, h. e. de ciuitate perfecta; iam de illa loquitur in qua sunt boni mores. Recte igitur Haasius *deinde* ex codicis Leidensis forma *inde* fecit. || 6) *sapientissimus et unus:* non cogitat de Vespasiano, sed speciem principis omnibus numeris absoluti sequitur. Idem dicendum est de *clementia cognoscentis* (iudicis), quae statim refertur. || 7) *inuidiosis:* inuidiam parantibus diuersis partibus. || 8) *illi* Halmio debetur: in codicibus scribitur *isti.* ||

set. Nunc, quoniam nemo eodem tempore adsequi potest magnam famam et magnam quietem, bono seculi sui quisque citra[9]) obtrectationem alterius utatur.

Finierat Maternus. Tum Messala: Erant quibus 42
contradicerem[1]), erant de quibus plura dici uellem, nisi iam dies esset exactus. Fiet, inquit Maternus, postea arbitratu tuo, et si qua tibi obscura in hoc meo sermone uisa sunt, de iis rursus conferemus. Ac simul adsurgens et Aprum complexus, Ego, inquit, te poetis, Messala antiquariis criminabimur. At ego uos rhetoribus et scholasticis, inquit.

Cum adrisissent, discessimus.

9) *citra obtrectationem:* cf. ad c. 3 n. 5.

1) *quibus contradicerem:* Cicero scripturus fuit *contra quae dicerem*: ille enim aut absolute ponit *contradicere* aut distractis partibus cum accusatiuo iungit.

Bonnae, typis Caroli Georgi.

Lateinisches Memorirbuch. Oder Stellen, Abschnitte und kleinere Ganze aus Cicero. Für methodische Gedächtnissübungen gesammelt und nach Inhalt und Stufenfolge geordnet von Director M. Meiring und H. J. Remacly, Oberlehrer. kl. 8. 11¼ Sgr.

Ritter, Dr. **F.**, Octavia praetexta. Curiatio materno vindicatam ad libros antiquos recognitam brevi adnotatione instructam. 8. geh. 15 Sgr. — 54 Kr.

Schopen, Dr. **L.**, de Terentio et Donato, eius interprete. Dissertatio critica. 8. maj. geh. 15 Sgr.

Schorn, Dr. **W.**, Anaxagorae Clazomenii et Diogenis Apolloniatae Fragmenta quae supersunt omnia disposita et illustrata. 8. geh. 10 Sgr.

Lateinische **Schulgrammatik** für die untern Klassen, bearbeitet von M. Siberti. Neu bearbeitet und für die mittlern Klassen erweitert von Dr. Meiring. Dreizehnte verbesserte Auflage. 20 Sgr.

Taciti, C. Corn., Opera. Recognovit brevique annotatione instruxit Dr. Fr. Ritter. Tom. I. Annales gr. 8. herabgesetzt 22½ Sgr.

— — Recognovit brevique annotatione instruxit Fr. Ritter. Tom. II. Auch unter dem besondern Titel: C. Cornelii Taciti Historiae et opera minora. (Nebst einem Index zum ganzen Werke) gr. 8. herabgesetzt. 22½ Sgr.

— — De situ moribus et populis Germaniae libellus. Recognovit brevique annotatione instruxit Fr. Ritter. Ed. II. 8. 5 Sgr.

— — Agricola in us. schol. rec. brq. annot. instr. Fr. Ritter. Ed. III. 8. 5 Sgr.

— — De oratoribus Dialogus. Recognovit brevique annotatione instruxit Fr. Ritter. gr. 8. 7½ Sgr.

— — Dialogus de oratoribus. In usum scholarum rec. brevique annotatione instruxit Fr. Ritter. Ed. II. 8. 5 Sgr.

Wiel, Dr. **W.**, Observationes in Orphei Argonautica. 8. geh. 10 Sgr.


3 0112 054147969